AUTHOR:

ROSENTHAL, GEORG

TITLE:

DE SENTENTIIS HORATIANIS.

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1897]

Master Negative #

91-80262-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rosenthal, Georg, 1874-
De sententiis Horatianis; dissertatio inaugura-lis philologa quam... publice defendet scriptor Georgivs Rosenthal... Berolini, typis expressit Gustavus Schade, [1897]
51 p. 23 cm.

Thesis, Berlin, 1897.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11 x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-18-91 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

DE
SENTENTIIS HORATIANIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXXI. M. MARTII A. MDCCCLXXXXVII
PUBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

GEORGIVS ROSENTHAL
BEROLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
J. ZINGLER, STUD. PHIL.
L. BAUCH, STUD. MED.
W. KOLBE, STUD. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE).
Linienstrasse 158.

PARENTIBVS

OPTIMIS CARISSIMIS

SACRVM.

Horati sententias, praecepta illa vivendi, quae quocumque oculos vertas ex libris eius elucent, praecipue ad gratiam poetae conciliandam valuisse nemo negat. Operae igitur pretium esse mihi videtur accuratius excutere, quales sint illae sententiae quaque arte a poeta adhibitae. Ita Horati indole et consuetudine poetica perspecta nonnullis certis argumentis adiuti eos redarguere poterimus, qui omnibus locis interpolatorem sentire sibi visi sunt: Peerlkampium, Lehrsium, Gruppium et qui eos secuti sunt. Certis argumentis adiuti — nam ut illi Horatiomastiges ipsorum iudicio freti poetam vituperaverunt naturae illius fere numquam ratione habita, ita eorum adversarii paribus armis defensitarunt. At nos poeta ipso, non nostra opinione niti volumus.

Sed priusquam ad rem ipsam aggrediamur, exponamus oportet, quid sit sententia vel ut vocabulo Graeco utar *γνώμη*.

Antiquiore aetate linguae Graecae vim vocabuli *γνώμης* veram rationem fuisse, non, ut postea, existimationem alicuius multis exemplis docemur. Heraclit. frg. 19 Byw. *ἓν τὸ σοφόν, ἐπίστασθαι γνώμην, ᾗ κυβερνᾶται πάντα διὰ πάντων*. frg. 96 *ἦθος γὰρ ἀνθρώπειον μὲν οὐκ ἔχει γνώμας, θεῖον δὲ ἔχει*[1]).

Quae significatio ab artis vocabulo *γνώμης* non aliena est: hic enim *γνώμη* est dictum, cuius veritas ab omnibus agnoscitur. Quapropter abunde Xenophon vel quisquis auctor est libelli de venatione 13, 3 loquitur: *γνῶμαι ὀρθῶς ἔχουσαι, αἷς ἂν παιδεύοιντο οἱ νεώτεροι ἐπ' ἀρετήν*. Brevius Aeschines simili loco (in Ctes. 135) *διὰ τοῦτο οἶμαι ἡμᾶς παῖδας ὄντας τὰς τῶν ποιητῶν γνώμας ἐκμανθάνειν, ἵν' ἄνδρες ὄντες αὐταῖς χρώμεθα*.

Sed iam percenseamus *γνώμης* definitiones, quas dederunt rhetores antiqui. Illi enim ut omne sermonis ornamentum ita illam[2]) in artibus suis tractaverunt. Sed quamquam rhetorica

---

[1]) Alia exempla collegit Bernays, Ges. Abhandl. p. 87.

[2]) Eam iam antiquis temporibus lumen quoddam orationis existimatam esse Isocrates testatur II, 44 *εἴ τις ἐκλέξειε τῶν προεχόντων ποιητῶν τάς καλουμένας γνώμας*.

scribunt, tamen non minus ad hanc quaestionem explicandam idonei sunt, cum plurima eorum exempla e poetarum operibus sumpta sint[3]).

Aristoteles ita definivit (rh. gr. I, 99, 16 sq. Sp.): ἔστω δή γνώμη ἀπόφανσις, οὐ μέντοι περὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστον, οἷον ποῖός τις Ἰφικράτης, ἀλλὰ καθόλου, καὶ οὐ περὶ πάντων, ὅτι τὸ εὐθὺ τῷ καμπύλῳ ἐναντίον, ἀλλὰ περὶ ὅσων αἱ πράξεις εἰσὶ καὶ αἱρετὰ ἢ φευκτά ἐστι πρὸς τὸ πράττειν. — ὥστ᾽ ἐπεὶ τὰ ἐνθυμήματα[4]) ὁ περὶ τοιούτων συλλογισμός ἐστι σχεδόν, τά τε συμπεράσματα τῶν ἐνθυμημάτων καὶ αἱ ἀρχαὶ ἀφαιρεθέντος τοῦ συλλογισμοῦ γνῶμαί εἰσι, οἷον

χρὴ οὔ ποθ᾽, ὅστις ἀρτίφρων πέφυκ᾽ ἀνήρ,
παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς.

τοῦτο μὲν οὖν γνώμη· προστεθείσης δὲ τῆς αἰτίας ἐνθύμημα οἷον

χωρὶς γὰρ ἄλλης ἧς ἔχουσι ἀργίας
φθόνον παρ᾽ ἀστῶν ἀλφάνουσι δυσμενῆ.

I, 100, 4 εἰ δή ἐστι γνώμη τὸ εἰρημένον, ἀνάγκη τέτταρα εἴδη εἶναι γνώμης· ἢ γὰρ μετ᾽ ἐπιλόγου ἔσται ἢ ἄνευ ἐπιλόγου. ἀποδείξεως μὲν οὖν δεύμεναί εἰσιν ὅσαι παράδοξόν τι λέγουσι ἢ ἀμφισβητούμενον. ὅσαι δὲ μηδὲν παράδοξον, ἄνευ ἐπιλόγου. τούτων δ᾽ ἀνάγκη τὰς μὲν διὰ τὸ προεγνῶσθαι μηδὲν δεῖσθαι ἐπιλόγου, οἷον ἀνδρὶ δ᾽ ὑγιαίνειν ἄριστόν ἐστιν. τὰς δ᾽ ἅμα λεγομένας δήλας εἶναι ἐπιβλέψαισιν, οἷον ‘οὐδεὶς ἐραστὴς ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ’. τῶν δὲ μετ᾽ ἐπιλόγου αἱ μὲν ἐνθυμήματος μέρος εἰσίν, αἱ δὲ ἐνθυμηματικαὶ μέν, οὐκ ἐνθυμήματος δὲ μέρος, . . ἐν ὅσαις ἐμφαίνεται τοῦ λεγομένου τὸ αἴτιον, οἷον ἐν τῷ ‘ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλασσε θνητὸς ὤν.’ τὸ μὲν γάρ φάναι ‘μὴ δεῖν φυλάττειν’ γνώμη, τὸ δὲ προκείμενον ‘θνητὸν ὄντα’ τό διὰ τί.

Similiter quidem, sed minus subtiliter auctor rhetorices ad Alexandrum disseruit: (XI) γνώμη δέ ἐστι μὲν ὡς ἐν κεφαλαίῳ καθ᾽ ὅλων τῶν πραγμάτων δόγματος ἰδίου δήλωσις· δύο δὲ τρόποι τῶν γνωμῶν εἰσιν, ὁ μὲν ἔνδοξος, ὁ δὲ παράδοξος, ὅταν μὲν οὖν ἔνδοξον λέγῃς, οὐδὲν δεῖ τὰς αἰτίας φέρειν. οὔτε γὰρ ἀγνοεῖται οὔτ᾽ ἀπιστεῖται τὸ λεγόμενον· ὅταν δὲ παράδοξον λέγῃς, χρὴ φράζειν τὰς αἰτίας συντόμως, ἵνα τὴν ἀδολεσχίαν καὶ τὴν ἀπιστίαν διαφύγῃς. — πολλὰς δὲ ποιήσομεν 1. ἐκ τῆς ἰδίας φύσεως ἢ 2. ἐξ ὑπερβολῆς ἢ 3. ἐκ

[3]) Cic. de orat. I, 16, 17 *est enim finitimus oratori poeta — multis ornandi generibus socius ac paene par.*

Dante de eloquent. vulg. II, 4 *poesis est fictio rhetorica.*

[4]) Arist. I, 9, 16 καλῶ δ᾽ ἐνθύμημα μὲν ῥητορικὸν συλλογισμόν.

παρομοιώσεως. Exemplorum eius haec affero: 1. οὐκ εἶναί μοι δοκεῖ δυνατὸν δεινὸν γενέσθαι στρατηγὸν πραγμάτων ἄπειρον ὄντα. 2. δεινότερά μοι δοκοῦσιν οἱ κλέπτοντες τῶν ληιξομένων ποιεῖν. οἱ μὲν γὰρ λαθραίως, οἱ δὲ φανερῶς τὰ χρήματα περιαιροῦνται. 3. ὁμοιότατόν μοι δοκοῦσι οἱ τὰ χρήματα ἀποστεροῦντες τοῖς τὰς πόλεις προδιδοῦσι ποιεῖν· πιστευθέντες γὰρ ἀμφότεροι τοὺς πιστεύσαντας ἀδικοῦσι.

Divisio τρόπος ἔνδοξος et παράδοξος Aristoteleis respondet μετὰ et ἄνευ ἐπιλόγου. Species ἐκ τῆς ἰδίας φύσεως ad ἔνδοξον τρόπον pertinet, aliae ἐξ ὑπερβολῆς et ἐκ παρομοιώσεως ad παράδοξον, nam rationes addantur necesse est.

Inspiciamus iam libros eorum, qui progymnasmata quae vocantur elucubraverunt: Theonis, Hermogenis, Aphthonii[5]), Nicolai[6]). Qui cum Theone excepto, qui definitionem non dedit, mire inter se connexi sint, tabula proposita verba eorum comparemus:

Hermogenes, rh. gr. II, 7	Aphthonius II, 25	Nicolaus III, 463
γνώμη ἐστὶ λόγος κεφαλαιώδης ἐν ἀποφάνσει, ἀποτρέπων τι ἢ προτρέπων ἐπί τι, ἢ ὁποῖόν ἐστι ἕκαστον δηλῶν.	γνώμη ἐστὶ λόγος ἐν ἀποφάνσεσι κεφαλαιώδης, ἐπί τι προτρέπων ἢ ἀποτρέπων. τῆς δὲ γνώμης τὸ μέν ἐστι προτρεπτικόν, τὸ δὲ ἀποτρεπτικόν, τὸ δὲ ἀποφαντικόν, καὶ τὸ μὲν ἁπλοῦν, τὸ δὲ συνεζευγμένον, καὶ τὸ μὲν πιθανόν, τὸ δὲ ἀληθές, τὸ δὲ ὑπερβολικόν.	τὴν γνώμην ἀπόφανσιν εἶναι βούλεται καθολικήν, συμβουλήν τινα καὶ παραίνεσιν ἔχουσαν πρός τι. p. 464. 22 τῶν δὲ γνωμῶν τῶν ἐν βίῳ χρησίμων πρὸς ἀλλήλας εἰσὶ διαφοραὶ αὗται·
ἀποτρέπων μὲν ὡς ἐν ἐκείνῳ· οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.	καὶ προτρεπτικὸν μὲν ὡς τό· χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.	
προτρέπων δὲ ὡς ἐν ἐκείνῳ· χρὴ πενίην φεύγοντα καὶ εἰς μεγακήτεα πόντον ῥίπτειν καὶ πετρῶν Κύρνε κατ᾽ ἠλιβάτων. ἢ τούτων μὲν οὐδέτερον	ἀποτρεπικὸν δὲ ὡς τό· οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.	

[5]) cf. Hopplicher: De Theone, Hermogene, Aphthonio. Virceburg. 1884. Theonem Augusti temporibus, Hermogenem secundo saeculo vergente, Aphthonium quarto fuisse demonstrat.

[6]) Nicolaus sub finem quinti saeculi fuit.

ποιεῖ, ἀποφαίνεται δὲ περὶ τῆς τοῦ πράγματος φύσεως, οἷον τὸ γὰρ εὖ πράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίγνεται. ἔτι δὲ τῶν γνωμῶν αἱ μέν εἰσιν ἀληθεῖς, αἱ δὲ πιθαναί, αἱ δὲ ἁπλαῖ, αἱ δὲ συνεζευγμέναι, αἱ δὲ ὑπερβολικαί.	*ἀποφαντικὸν δὲ ὡς τό· δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδέν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων.*	*αἱ μὲν γὰρ αὐτῶν εἰσι ἀληθεῖ, αἱ δὲ πιθαναί.*
ἀληθεῖς μὲν οἷον, οὐκ ἔστιν εὑρεῖν βίον ἄλυπον ἐν οὐδενί.	*καὶ ἀληθὲς μὲν ὡς τὸ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν βίον ἄλυπον ἐν οὐδενί.*	*ἀληθεῖς μὲν οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.*
πιθαναὶ δὲ οἷον, ὅστις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνήρ, οὐπώποτ' ἠρώτησα, γιγνώσκων ὅτι τοιοῦτός ἐστιν, οἷσπερ ἥδεται ξυνών.	*πιθανὸν δὲ ὡς τὸ τοιοῦτός ἐστιν ἕκαστος, οἷσπερ ἥδεται ξυνών.*	*πιθαναὶ δὲ τοιοῦτός ἐστιν ἕκαστος, οἷσπερ ἥδεται ξυνών.*
ἁπλαῖ δὲ οἷον, δυναταὶ τὸ πλουτεῖν καὶ φιλανθρώπους ποιεῖν.	*ἁπλοῦν δὲ ὡς τὸ εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.*	*ἁπλαῖ μέν, οἷον οὐκ ἔστιν εὑρεῖν βίον ἄλυπον οὐδενί.*
συνεζευγμέναι δὲ οἷον οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω· εἷς βασιλεύς.	*συνεζευγμένον δὲ ὡς τὸ οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω· εἷς βασιλεύς.*	*διπλαῖ δέ, οἷον ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι, ἢν δὲ κακοῖσι συμμίξῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.*
ὑπερβολικαὶ δὲ οἷον οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο.	*ὑπερβολικὸν δὲ ὡς τὸ οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο.*	

Quorum dilucidissime Nicolaus disseruit: nam et dispositionem claram ad formam et argumentum pertinentem habet et discrimina illa inania *ἀποτρέπων ἢ προτρέπων* recte omisit. Sententiae *ἀληθεῖς* et *πιθαναὶ* Aristoteleis *μετὰ* et *ἄνευ ἐπιλόγου* respondent; in verbo *ἥδεται* apparet *τοῦ λεγομένου τὸ αἴτιον*.

Cum rhetorum illorum definitione congruit quam dedit qui perhibetur Cornificius IIII, 17, 24: *sententia est oratio sumpta de vita, quae quid sit aut quae esse oporteat breviter ostendit.* Non aliter iudicat Alexander Numeniu, quem citat scholiasta anonymus in Hermog. Walz VII, 765, 11. *γνώμη δέ ἐστιν καθολικὴ ἀπόφανσις περὶ τῶν πραγμάτων οὕτως ἐχόντων καὶ οὕτως ἔχειν ὀφειλόντων.* Minus anguste Quintiliani definitio coercetur VIII, 5, 3: *Antiquissimae sunt, quae proprie, quamvis omnibus idem*

nomen sit, sententiae vocantur, quas Graeci γνώμας appellant: utrumque autem nomen ex eo acceperunt, quod similes sunt consiliis aut decretis, est autem haec vox universalis, quae etiam citra complexum causae possit esse laudabilis, interim ad rem tantum relata, ut 'nihil tam populare est quam bonitas' interim ad personam, quale est Afri Domiti: 'princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.'

Sententia, ut Aristoteles eam definiverat, est iudicium commune, quod ad actiones humanas pertinet et quae eligenda, quae fugienda sint docet. Enuntiata autem qualia *rectum non est curvum* ab Aristotele segregantur. Nihilo minus sententiae multae Horati in hoc exemplum quadrant, ut c. II, 11, 9 *non semper idem floribus est honor vernis; II, 18, 15 truditur dies die novaeque pergunt interire lunae; IIII, 4, 30 est in iuvencis, est in equis patrum virtus neque inbellem feroces progenerant aquilae columbam. Ep. I, 2, 43 amnis labitur et labetur in omne volubilis aevum.* Quas inter sententias et illud *rectum non est curvum* magnum discrimen non est. — Ut hanc difficultatem tollamus, ad antiquam graecae vocis *γνώμης* significationem redeamus. Illa fuit vera ratio, perspicientia veri. *Γνώμη* igitur est iudicium, quod verum esse nemo negat: nihil autem refert, utrum ad actiones humanas pertineat an nescio quid aliud exprimat. Quapropter ex Aristotelis definitione illud '*οὐ περὶ πάντων* etc.' tollendum esse censeo[7]). Quod iam progymnasmatum scriptores omiserunt.

Rhetores antiqui, ut sententiae naturam accuratius explicarent, discrimina inter eam et simile sermonis ornamentum, chrian, persecuti sunt. Quam Hermogenes ita definit II, 5: *χρεία ἐστὶν ἀπομνημόνευμα λόγου τινὸς ἢ πράξεως ἢ συναμφοτέρου, σύντομον ἔχον δήλωσιν, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον χρησίμου τινὸς ἕνεκα.* — II, 6, 10 *γνώμης δὲ διαφέρει τῷ τὴν μὲν ἐν ἀποφάνσει ψιλῇ λέγεσθαι, τὴν δὲ χρείαν πολλάκις κατ' ἐρώτησιν καὶ ἀπόκρισιν· καὶ πάλιν τῷ τὴν μὲν χρείαν καὶ ἐν πράξεσιν εἶναι, τὴν δὲ γνώμην ἐν λόγοις μόνον. καὶ πάλιν τὴν μὲν χρείαν τὸ πρόσωπον πεποιηκὸς ἔχειν, τὴν δὲ γνώμην ἄνευ προσώπου λέγεσθαι.* — Apud Horatium quoque tales chriae inveniuntur: Ep. I, 15, 36 *ut ventres lamna*

[7]) cf. Arist. soph. el. 176ᵇ 18 *καλοῦσι γαρ γνώμας καὶ τὰς ἀληθεῖς δόξας καὶ τὰς ὅλας ἀποφάνσεις, ὡς ἡ διάμετρος ἀσύμμετρος.* (Waitz.)

candente nepotum diceret urendos corrector Bestius. S. II, 2, 53 *Sordidus a tenui victu distabit Ofello iudice*[8]). Ep. I, 18, 31 *Eutrapelus cuicumque nocere volebat, vestimenta dabat pretiosa.* Aliae S. I, 2, 31; 3, 126; II, 3, 43; 3, 100; 3, 287; A. P. 296.

Sed rhetores ut sententiae et chriae discrimina exposuerunt, ita sententiae et proverbii, inter quae saepe quaedam similitudo est, fere plane neglexerunt. Quamquam Aristoteles utriusque rationem nonnumquam eandem esse iecit I, 101, 24: *ἔτι ἔνιαι τῶν παροιμιῶν καὶ γνῶμαί εἰσιν*, atque Donatus ad Ter. Andriam 426 *verum illud verbum est, vulgo quod dici solet: Omnes sibi malle melius esse quam alteri* adnotat: *'id est proverbium et sententia.'* Sed accurate neuter discrimina exposuit, id quod nos age suppleamus. Quid est proverbium? Aristoteles I, 144, 27 *αἱ παροιμίαι μεταφοραὶ ἀπ' εἴδους ἐπ' εἶδός εἰσιν.* In allegoriae igitur genere proverbium ponendum est[9]). Exempli causa afferam Hor. Ep. I, 17, 36 *non cuivis homini contingit adire Corinthum*[10]). Sed sensim homines urbis ipsius obliti dictum illud ita interpretati sunt, ut eo usi omnes, quod vellent, consequi posse negarent[11]). Ita Horatius proverbium illud adhibuit. Proverbium igitur a notione singularis rei, quae sensibus percipi potest, profectum illam singularem rem (velut Corinthum) in omnes similes conditiones transfert (velut in eos, qui voluptates aucupentur), cum sententia aliquid commune exprimat nec in troporum genere numeranda sit[12]) (velut, ut ipse sententiam pro proverbio fingam: non omnes propositum consequuntur). Aliud autem discrimen hoc est: proverbia totius populi[13]) propria sunt,

---

[8]) Nonnullae chriae persona adempta sententiae sunt ut haec: *sordidus a tenui victu distabit.* cf. Theo II, 99, 11 *προφέρονται δὲ τῶν χρειῶν ἁι μὲν γνωμολογικῶς.*

[9]) Quint. VIII, 6, 44 *Allegoria, quam inversionem interpretantur, aut aliud verbis, aliud sensu ostendit, aut etiam interim contrarium.* Similiter Longinus technographus rh. gr. I, 307, 8.

[10]) cf. Zenobius V, 37.

[11]) Nos nostro proverbio usi *viele Wege führen nach Rom* urbis prorsus obliti dicere volumus multas vias patere, quibus propositum consequi possimus.

[12]) Recte Quint. VIIII, 3, 98 Cornificium, cum sententias in schematis posuerit, refutat.

[13]) Non semper omnium hominum. Nam sua quisque populus habet proverbia. Pauca omnium sunt. cf. Otto, Sprichwörter der Römer, p. XVII.

sententias novas unusquisque quovis tempore fingere potest. Itaque recte Aristoteles in dialogo qui est de philosophia 1474^b, 5 proverbia *παλαιᾶς φιλοσοφίας ἐγκαταλείμματα* appellat, *περισωθέντα διὰ συντομίαν καὶ δεξιότητα.* In Terenti dicto quod supra attuli verbum *vulgo* non neglegendum est.

Sed ut supra vidimus, idem dictum interdum et proverbium et sententia appellatur. Porphyrio ad Hor. c. IIII, 4, 31 *neque inbellem feroces progenerant aquilae columbam* adnotat: *proverbialis sententia*, i. e. hoc dictum est proverbium, si tropice, sententia, si proprie intellegitur. Atque utrumque fieri potest. — S. II, 7, 70 *quae belua ruptis cum semel effugit reddit se prava catenis?* Quod et sententia est, cum aliquid commune ac verum exprimat, et proverbium[14]), cum tropice a poeta adhibeatur. Nam ostendit amantes et libidinosos beluis esse inconsideratiores, cum hae fere numquam postquam e laqueis effugerunt iterum capiantur, illi autem vitato periculo iterum atque iterum in idem genus incurrant. Alia exempla: C. II, 2, 13; 5, 9; 9, 1; 10, 1; 10, 9; Ep. I, 2, 54; 7, 98; 18, 84; 18, 87; A. P. 350.

Pauca de verbis volatilibus quae vocantur addam: inter quae et proverbia hoc imprimis interest, ut illa plerumque e certorum auctorum operibus sumpta sint, harum origo lateat; utrorumque ratio igitur eadem est ac poematum eorum, quae nos artificiosa et popularia appellamus. Illa autem verba volatilia ob insignem brevitatem et acumen vel ob nescio quam proprietatem innotuerunt. Praetera in eis communia esse non solent iudicia, sed ad ipsius poetae personam resve relata. V. c. haec afferam c. II, 6, 13 *ille terrarum mihi praeter omnis angulus ridet.* III, 29, 55 *mea virtute me involvo.* S. I, 9, 78 *Sic me servavit Apollo.* II, 3, 243 *par nobile fratrum.* Ep. I, 1, 14 *iurare in verba magistri* etc.

Sententiae, ut ad eas redeam, iam apud Homerum inveniuntur[15]). Uberius eis usus est Hesiodus, qui brevia praecepta sententiose in op. et d. protulit. Solonem ob *ὑποθήκας* Plato (Tim. 21 d) pluris quam Homerum et Hesiodum facit, Phocylidem et

---

[14]) Lambinus adnotat proverbium Graecum: *ἀλώπεξ διαφυγοῦσα πάγας αὖθις οὐχ ἁλίσκεται.*

[15]) v. c. schol. ad *η* 310 *ἀμείνω δ' αἴσιμα πάντα* adnotat: *τοῦτο τὸ σχῆμα καλεῖται γνωμικόν.*

Theognidem secundum Hesiodum *ἀρίστους γεγενῆσθαι συμβούλους τῷ βίῳ τῷ τῶν ἀνθρώπων* Isocrates (in Nicocl. 43) censet[16]). — Sed a sententiis, quas illi poetae ipsi invenerunt, distinguenda sunt antiquissima illa dicta, quae, alligata versu paroemiaco, iam ante Homerum in usu erant. (cf. Usener, Altgriechischer Versbau p. 44 sq.) Poetae autem illa saepe suo proposito accommodare studebant, velut Hesiodus op. et d. 40

νήπιοι, οὐδὲ ἴσασιν, ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός[16a]).

Romanorum Appius Claudius Caecus similiter ac Theognis sententias morales composuisse fertur. F. P. R. p. 36 B *amicum cum vides, obliscere miserias, commentus; si est inimicus, nec libens aeque. est unusquisque faber ipse suae fortunae.* Similia dicta in Catonis de moribus carmine insunt F. P. L. p. 57.

Illae sententiae, quae plane aliquid praecipiunt, ne dramatis quidem desunt. Ter. Andr. 34 *id in vita utile est, ut ne quid nimis* (*Μηδὲν ἄγαν*). Plaut. mil. glor. 480 *plus oportet scire servum quam loqui.* Ennius v. 408 R. *pervince pertinaci pervicacia.* Pacuv. 268 *Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet.* Attius 15 *Iram infrenes, obstes animis, reprimas confidentiam.* 214 *vigilandum est semper, multae insidiae sunt bonis.* — Nec vero minus alia iudicia invenias, quae ad hominum rerumque naturam attinent ac saepe ampliores quam illa praecepta sunt. Plaut. mil. gl. 640 *Nam nisi qui ipse amavit, aegre amantis ingenium inspicit.* Liv. Andron. 16 *praestatur laus virtuti, sed multo ocius verno gelu tabescit.* Ennius 185 *Otio qui nescit uti, plus negoti habet, quam cum quis negotiosod.* cf. 220, 321, 360, 366, 379. Attius 683 *nullum est ingenium tantum neque cor tam ferum, quod non labascat lingua, mitiscat malo.* cf. 25, 45, 159, 422, 643.

Sententiae, quae ex Enni et Lucili satiris elucent, ea quae sunt in usu vitaque communi spectant, non abundant ea varietate, qua Horati carmina ornata sunt. Quamquam paucae exstant in eis nec quomodo adhibitae sint semper intellegi potest. Enn. v. 21 L. M. *nam is non bene volt tibi, qui me falso criminat aput te.* 46 *terra gentis omnis peperit et resumit denuo.* 83 *ne quid*

---

16) cf. Hor. A. P. 403 *per carmina vitae monstrata via est.*

16a) cf. Aristoteles soph. el. p. 183^b 22 *μέγιστον γὰρ ἴσως ἀρχὴ παντός, ὥσπερ λέγεται· διὸ καὶ χαλεπώτατον.*

exspectes amicos, agere tu quod possis. cf. 48, 84. Lucil. 192 L. *non omnes possumus omnia.* 656 *quid sit, quid non sit, ferto aequo animo ac fortiter.* 1079 *Vis est vita, vis nos facere omnia cogit.* (cf. Menander sentent. monost. 66 *Βίος κέκληται ὃς βίᾳ πορίζεται*) 1149 *intereunt, labuntur, eunt rursum omnia vorsum.* cf. 330, 664, 831, 832, 900, 1171, 1181e.

Quoniam igitur nonnullis exemplis vidimus, quid sit sententia quoque modo a poetis ante Horatium adhibita, age vero ipsum accuratius inspiciamus. Ac primum quidem de forma et collocatione, tum de argumento sententiarum illius poetae mihi esse dicendum videtur.

A progymnasmatum scriptoribus hae species distinguebantur:

ἀποτρέποντες	ἁπλαῖ	ἀληθεῖς
προτρέποντες	διπλαῖ	πιθαναί.

Sententiae *προτρέποντες* et *ἀποτρέποντες* imperative proferri solent. S. II, 6, 96 *in rebus iucundis vive beatus memor, quam sis aevi brevis.* c. I, 9, 13, *quid sit futurum cras fuge quaerere.* 11, 1 *tu ne quaesieris, quem mihi, quem tibi finem di dederint.* 18, 7 *ne quis modici transiliat munera Liberi.* c. I, 7, 17, II, 3, 1; 5, 9; 11, 4; 16, 27; III, 2, 1; Ep. I, 2, 46; 2, 62; 18, 68. — Sed non omnes morales sunt; S. I, 4, 40 *saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint scripturus.* S. II, 4, 35; A. P. 38; 335.

Sententia *ἁπλῆ* per se sola pronuntiatur: (*οὐκ ἔστιν εὑρεῖν βίον ἄλυπον ἐν οὐδενί*). c. IIII, 9, 29 *paullum sepultae distat inertiae celata virtus.* S. I, 1, 51 *suavest ex magno tollere acervo.* Sententia *διπλῆ* duas habet partes, quae sibi contraria sunt. *ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι, ἢν δὲ κακοῖσι συμμείξῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.* Cornificius IIII, 17, 24 quoque hanc formam testatur: *errant, qui in prosperis rebus omnes impetus fortunae putant se fugisse; sapienter cogitant, qui temporibus secundis casus adversos reformidant.* — S. II, 3, 74 *male rem gerere insani est, contra bene sani.* Ep. I, 6, 24 *quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas, defodiet condetque nitentia.* 18, 87 *dulcis inexpertis cultura potentis amici: expertus metuit.* cf. c. III, 1, 17; 24, 31; Ep. I, 17, 41; A. P. 175.

Sententias *ἀληθεῖς* rhetores hoc exemplo illustraverant: *οὐκ ἔστιν εὑρεῖν βίον ἄλυπον ἐν οὐδενί.* Hoc genus per se ipsum intellegitur velut Horationa: c. I, 4, 13 *Pallida mors aequo pulsat*

pede pauperum tabernas regumque turres. S. I, 9, 59 *nil sine magno vita labore dedit mortalibus.* Ep. I, 7, 44 *parvum parva decent.* — Sententia *πιθανή: τοιοῦτός ἐστιν ἕκαστος, οἷσπερ ἥδεται ξυνών.* In verbo *ἥδεται* '*ἐμφαίνετει τοῦ λεγομένου τὸ αἴτιον*' (Arist.). Huius speciei similia exempla sunt haec Horati: c. II, 2, 1 *Nullus argento color est avaris abdito terris, nisi temperato splendeat usu.* A. P. 31 *in vitium ducit culpae fuga, si caret arte.* — In hac specie Aristoteles enthymemata quoque posuerat, quae e duabus sententiis constant, quarum altera alteri rationem adicit. Ep. I, 2, 67 *adbibe puro pectore verba puer. quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.* Alia S. I, 3, 111 sq.; c. II, 16, 7; 16, 18; Ep. I. 2, 51; 14, 11; A. P. 347 etc. — A. P. 335 *quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta percipiant animi dociles teneantque fideles. omne supervacuum pleno de pectore manat.* Hunc versum Bentleius et Ribbeckius, egregii sane illi philologi, delent: '*Solebant olim sententiosa huiusmodi in margine allinere, quae postea in contextum irrepserunt.*' At sententia deesse non potest. Plerumque enim talibus praeceptis communibus sententia quae rationem addit apponitur, ut efficacius inhaerescat animis. Aristotelis ipsius exemplum quod supra attuli eiusdem modi est. cf. A. P. 386 *siquid scripseris, nonum prematur in annum, membranis intus positis; delere licebit, quod non edideris; nescit vox missa reverti.* Ep. I, 2, 55 *sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.* 2, 62 *animum rege; qui nisi paret, imperat.* A. P. 136 *nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim: 'fortunam Priami cantabo et nobile bellum.' quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.* — Eodem iure hi versus appositi esse possunt. Sed tales sententiae Horati propriae sunt; quapropter ne illum quidem *omne supervacuum* etc. delendum esse censeo. Bentleius et Ribbeckius haud scio an propterea quod illae sententiae parum cohaerescere videntur decepti sint. At maximam partem sententiae sine coniunctione annexae sunt (qua de re infra accuratius disseremus), praecipue autem eae, quibus cogitatio aliqua terminetur. Quod saepissime invenitur in epiphonematis, quae vocantur. Iam antiquus testis anonymus quidam, qui scripsit *περὶ σχημάτων* rh. gr. III, 173, 17 Sp., *ἀπουσίαν συνδέσμου* sententiarum illius generis esse monet.

Quam ob rem epiphonemata illa excutiamus. Theo II, 91

ἐπιφωνεῖν δὲ διηγήσει ἐστὶ τὸ καθ' ἕκαστον μέρος τῆς διηγήσεως γνώμην ἐπιλέγειν, τὸ δὲ τοιοῦτον οὐθ' ἱστορίᾳ πρέπον οὔτε πολιτικῷ λόγῳ, θεάτρῳ δὲ καὶ σκηνῇ μᾶλλον ἐπιτήδειον. In versibus autem, quos Theo ex Menandro affert sententia (epiphonema) ipsa periit[17]). Recte Theo epiphonemata imprimis in *θεάτρῳ καὶ σκηνῇ* inveniri iudicat. Tamen ne aliis quidem poematis desunt[18]). Saepe enim carmini vel carminis parti sententia quasi corona quaedam imponitur, quae breviter atque efficaciter id quod antea dictum est comprehendit confirmatque. — Hor. c. I, 24 Quintilius mortuus est, cui vix quisquam par invenitur.

multis ille bonis flebilis occidit,
nulli flebilior quam tibi, Vergili.
tu frustra pius, heu, non ita creditum
poscis Quintilium deos.

quid si Threicio blandior Orpheo
auditam moderere arboribus fidem?
num vanae redeat sanguis imagini
quam virga semel horrida,

non lenis precibus fata reludere,
nigro compulerit Mercurius gregi?
durum: sed levius fit patientia
quidquid corrigere est nefas.

S. I, 9, 56—60.
Hor.: *difficilis aditus primos habet.*
Garrulus: *haud mihi dero:*

---

[17]) cf. Leo, Plautin. Forschungen, p. 202.

[18]) cf. Demetrius *περὶ ἑρμ.* § 106 sq. Qui duo genera epiphonematum distinguit, alterum solius ornamenti causa ut Sapphus *οἵαν τὴν ὑάκινθον ἐν οὔρεσι ποιμένες ἄνδρες ποσσὶν καταστείβουσι — χαμαὶ δέ τε πορφύρον ἄνθος.* [Quae coniunctio *δέ τε* vix lyrica est, quapropter sequor Dielsii emendationem *πέτε πόρφυρον* (= *πόρφυρρον, πόρφυρῑον* Hoffmann, Gr. Dial. II, 454). *ἄνθος* cf. Hendess, Orac. n. 168, 1 *χαμαὶ πέσε δαίδαλος αὐλά.* De asyndeto supra dictum est.] cf. Quint. VIII, 5, 11. His locis *γνώμη* non invenitur. — Alterum genus *ἀποδείξεως: αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.*

muneribus servos corrumpam; non hodie si
exclusus fuero, desistam; tempora quaeram,
occurram in triviis, deducam. nil sine magno
vita labore dedit mortalibus.

Epiphonema his locis invenitur: S. I, 1, 106; 1, 117; 2, 24; 2, 62; 2, 134; 3, 36; 3, 74; 3, 111; 5, 44; 9, 59; II, 2, 8; 3, 94; 3, 103; 3, 166; 3, 220; 5, 8; C. I, 3, 36; 11, 8; 13, 17; 24, 19; 28, 15; 34, 12; II, 2, 19; 3, 25; 10, 21; III, 2, 31; 8, 27; 16, 42; IIII, 12, 28; Ep. I, 1, 39; 1, 106; 7, 98; 10, 24; 16, 24; 16, 55; 17, 41; 18, 85; 19, 49; A. P. 23; 31; 58; 92; 178; 319; 390.

Epiphonematis artificium poematis magno ornamento est. Nam vix quicquam magis idoneum est, quod praeclare carmen vel carminis partem terminet atque, cum singularem locum teneat, imprimis in memoria inhaerescat. Quapropter inconsiderate agere mihi videntur, qui vi illa epiphonematis neglecta talia dicta deleant, quod eadem, quae antecesserunt, repetunt.

A.P. *decipimur specie recti: brevis esse laboro,*
obscurus fio; sectantem levia nervi
deficiunt animique; professus grandia turget;
serpit humi tutus nimium timidusque procellae;
qui variare cupit rem prodigialiter unam,
delphinum silvis adpingit, fluctibus aprum.
in vitium ducit culpae fuga, si caret arte.

Ribbeckius: *Wozu noch einmal dieser leere und trockene Satz? Das war schon v. 25—30 gesagt. Er wird ein Extrakt des vorstehenden Kapitels sein, wie ihn der Interpolator zur Orientierung an die Seite geschrieben haben mag.*

Similiter v. 86 sq.

86 *descriptas servare vices operumque colores*
cur ego si nequeo ignoroque poeta salutor?
cur nescire pudens prave quam discere malo?
versibus exponi tragicis res comica non volt:
indignatur item privatis ac prope socco
dignis carminibus narrari cena Thyestae.
singula quaeque locum teneant sortita decentem.

Ribbeckius: *v. 92 ist wieder als capitulum auszuscheiden.*

Qua ratione qui grassatur, Horati artem minus cognitam habere videtur, qui epiphonematis saepe usus est, ut termini suae disputationis melius notarentur et a finitimis segregarentur. Quos terminos qui dempserit, ne ille elegantiam poetae et perspicuitatem attrectet vereor.

In aliis quoque epistulis Ribbeckius talia dicta interpolatori sententiarum cupido tribuit. Ep. I, 16, 24[19]).

stultorum incurata pudor malus ulcera celat.

Similiter ibid. v. 55/56.

Nec tamen ille sibi constat. I, 18, 76 sq.[20]).

76 *qualem commendes etiam atque etiam adspice, ne mox*
incutiant aliena tibi peccata pudorem.
fallimur et quondam non dignum tradimus: ergo
quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri,
ut penitus notum si temptent crimina, serves
tuterisque tuo fidentem praesidio: qui
dente Theonino cum circumroditur, ecquid
ad te post paullo ventura pericula sentis?
nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
et neglecta solent incendia sumere viris.

v. 84 pertinet et ad v. 76 et ad v. 80 sq. — v. 85 pertinet et ad v. 79 et ad v. 83: denique sententia totum locum comprehendit terminatque, est epiphonema, quod Ribbeckio, si sibi constitisset, erat delendum. — Sed de epiphonematis hactenus.

Sententia, quae in initio carminis vel partis carminis collocata est, promythium vocatur. Donatus ad Ter. Eun. 232 *homini homo quid praestat* adnotat: '*Morata narratio a sententia incipi solet, quae dicitur προμύθιον.*' Talis sententia, quanta vi ac pulchritudine sit loco idoneo, apparet. Quod poeta dicturus est, antea iudicio communi significat idque verum esse versibus insequentibus demonstrat. S. I, 1, 1 praeclarum exemplum praebet:

---

19) Rhein. Mus. XXIII, 75.
20) Hos versus a Ribbeckio in epist. XVII positos esse hoc loco non refert.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
contentus vivat, laudet diversa sequentis?
'o fortunati mercatores' gravis annis
miles ait multo iam fractus membra labore.
contra mercator, navim iactantibus austris,
'militia est potior. quid enim? concurritur: horae
momento cita mors venit aut victoria laeta.'
agricolam laudat iuris legumque peritus,
sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat:
ille, datis vadibus qui rure extractus in urbemst,
solos felicis viventis clamat in urbe.
cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
delassare valent Fabium. —

C. I, 22

Integer vitae scelerisque purus
non eget Mauris iaculis neque arcu
nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra,
sive per Syrtis iter aestuosas
sive facturus per inhospitalem
Caucasum vel quae loca fabulosus
lambit Hydaspes.

Quas strophas solas poetae tribuendas esse Lehrsius censet. Quid autem restat aliis deletis? Nihil nisi sententia! At sententia numquam per se ipsa profertur; deinde quid sibi vult hoc unum dictum? praesertim cum verba illa gravia ad Fuscum Aristium, amicum lascivum Horati (cf. S. I, 9), mittantur? Explicatione egent, quam dat poeta iocans versibus insequentibus. Ne id quidem credere possumus in Horati carminibus nonnulla fragmenta inveniri, quae poeta uberius persequi non potuerit. Quadrantne talia fragmenta in illud *monumentum aere perennius?* Praeterea intellegi non potest, cur versus insequentes ad primas strophas apti non sint. Promythium enim illud explanatur verbis *dum meam canto Lalagen et ultra terminum curis vagor expeditis, lupus ingens fugit me inermem.* Strophae extremae (*pone me pigris* etc. atque *pone sub curru* etc.) strophae secundae re-

spondent: ubicumque terrarum poeta erit, purus sceleris Lalagen suam amabit.

Ita sententia summam totius carminis venuste indicat.

A. P. 179

aut agitur res in scaenis aut acta refertur.
segnius inritant animos demissa per aurem
quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae
ipse sibi tradit spectator. non tamen intus
digna geri promes in scaenam, multaque tolles
ex oculis quae mox narret facundia praesens,
ne pueros coram populo Medea trucidet,
aut humana palam coquat exta nefarius Atreus
aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem
quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Quis, cum illud promythion (v. 179) legat, non reminiscitur similis versus (A. P. 119):

aut famam sequere aut sibi convenientia finge.

a quo versu haec pars poematis incipitur (120—127)

scriptor Homereum si forte reponis Achillem,
inpiger, iracundus, inexorabilis, acer
iura neget sibi nata, nihil non adroget armis.
sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
si quid inexpertum scaenae conmittis et audes
personam formare novam, servetur ad imum
qualis ab incepto processerit et sibi constet.

Versum 119 Ribbeckius, cum ille aegre versus insequentes comprehendat, spurium iudicat. — At eodem munere fungitur quo v. 179, ac ne forma quidem dissimilis est. Mirum igitur, cur hic servetur, ille deleatur! Schuetzius v. 119 post v. 124 ponit. Sed v. 119 dispositionem indicat: 1. fama 120—124, 2. convenientia 125 sq. Quapropter a loco suo movendus non est.

Alia promythia Horati haec sunt: S. I, 3, 1; II, 7, 6; epod. 2, 1; c. I, 11, 1; II, 2, 1; 3, 1; 9, 1; 10, 1; 14, 1; III, 2, 1; 3, 1; 24, 1; Ep. I, 6, 1; 17, 33; 18, 86; II, 2, 55; 2, 141; A. P. 24; 38; 63; 99; 309; 333; 347; 361.

Pauca hoc loco addam. Si qua pars carminis et promythium et epiphonema habet, utramque sententiam similem esse consentaneum est, cum utraque ea, quae insequuntur vel antecedunt, iudicio communi comprehendat. Neque tamen ob illam similitudinem alteram sententiam ut poetae abiudicemus, a nobis impetrabimus. Velut Ribbeckius delet A P. 178 *semper in adiunctis aevoque morabimur aptis*, cum idem exprimat ac v. 156 *aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores*. Sed Ribbeckius a Peerlkampio superatur. Qui c. I, 3 totam partem v. 25—37 epiphonemate excepto grammatico cuidam tribuit. v. 25 *audax omnia perpeti gens humana ruit per vetitum nefas*. Quae sententia illustratur tribus exemplis insignibus Promethei Daedali Herculis. '*Eadem fere sententia quae v. 37 nil mortalibus arduist*.' Recte! Sed illae duae sententiae praeclare indolem quandam Horati demonstrant, qui non semel medio in carmine sententiam connexam cum antecedentibus versibus affert, eam exemplis vel considerationibus longius persequitur, denique totam digressionem sententia simili primae claudit. c. IIII, 8, 20 *neque si chartae sileant quod bene feceris, mercedem tuleris*. Poeta exempla affert. 1. *Quid foret Iliae Mavortisque puer, si taciturnitas obstaret meritis invida Romuli?* 2. *Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum virtus et favor et lingua potentium vatum divitibus consecrat insulis.* Atque tum omnia ea comprehendit: *Dignum laude virum Musa vetat mori, caelo Musa beat.* — Haec sententia ei, quae antea apparuit, non minus similis est quam *nil mortalibus arduist* sententiae *audax omnia perpeti* etc.

C. II, 10, 13 *Sperat infestis, metuit secundis alteram sortem bene praeparatum pectus.* Haec sententia tribus aliis explanatur: 1. *informis hiemes reducit Iuppiter, idem submovet.* 2. *non si male nunc, et olim sic erit.* 3. *quondam citharae tacentem suscitat musam neque semper arcum tendit Apollo.* — Ergo '*rebus angustis animosus atque fortis adpare: sapienter idem contrahes vento nimium secundo turgida vela*.' Haec quoque sententia fere eadem exprimit atque quae antecessit. — Hos locos Peerlkampius non mutavit, quamvis similis sit eorum compositio.

Sed quoniam sententiarum genera a rhetoribus tractata excussimus, nunc videamus, quibus aliis formis sententiae ab Horatio

proferantur. — Interdum duae sententiae ita coniunctae sunt, ut altera alteram longius persequatur, ut c. I, 3, 36 *nil mortalibus arduist: caelum ipsum petimus stultitia.* Saepe altera pars antithesin efficit: c. III, 4, 65 *vis consili expers mole ruit sua: vim temperatam di quoque provehunt in maius; idem odere viris omne nefas animo moventis.* IIII, 4, 29 *fortes creantur fortibus et bonis: est in iuvencis, est in equis patrum virtus, neque inbellem progenerant aquilae columbam.* — C. I, 34 sententiam eiusdem generis habet: *valet ima summis mutare et insigne attenuat deus, obscura promens; hinc apicem rapax Fortuna cum stridore acuto sustulit, hic posuisse gaudet.* — Lehrsius hoc carmen reiciendum esse censet, nisi forte poetam mentis non compotem id finxisse putemus. — Sed Fortuna, quae Lehrsium maxime offendit — nam Horatius hoc carmine philosophiam Epicureorum fastidit — non est Fortuna Lucreti (5, 107) omnia sola gubernans, sed dea, quae Iovis imperata persequitur[21]). Qua difficultate sublata ne carmen Horatio abiudicemus, monet sententiarum ille contextus, qui a poeta non alienus est.

Aliis locis altera sententia ex altera concluditur ut S. II, 6, 93 *terrestria quando mortalis animas vivunt sortita neque ullast aut magno aut parvo leti fuga: quocirca, dum licet, in rebus iucundis vive beatus, vive memor, quam sis aevi brevis.* S. II, 3, 93 *omnis enim res, virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris divitiis parent; quas qui construxerit, ille clarus erit, fortis, iustus.*

Aliae ita coniunguntur, ut similitudinem efficiant: c. I, 7, 15 *albus ut obscuro deterget nubila caelo saepe notus neque parturit imbres perpetuo, sic tu sapiens finire memento tristitiam vitaeque labores molli mero.* c. III, 5, 27 *neque amissos colores lana refert medicata fuco nec vera virtus, cum semel excidit, curat reponi deterioribus.* cf. Ep. I, 2, 51; 10, 42; A. P. 60; 101; 431.

In sententiis ipsis variae formae iudicii apparent. Multo maior numerus ut iudicium simplex et certum profertur. E. I, 7, 44 *parvum parva decent.* c. II, 3, 25 *omnes eodem cogimur.*

---

[21]) Nam homines attollere et praecipitare deorum esse semper putabatur cf. Hesiod opp. 6 *Ζεὺς ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει καὶ ἄδηλον ἀέξει.* Archilochus 56 B. *τοῖς θεοῖς τίθει τὰ πάντα. πολλάκις μὲν ἐκ κακῶν ἄνδρας ὀρθοῦσι μελαίνῃ κειμένους ἐπὶ χθονί, πολλάκις δ' ἀνατρέπουσι καὶ μάλ' εὖ βεβηκότας.* Apud Pindarum Ol. XII, 1 *τύχη, παῖς Ζηνός,* invocatur.

Non paucae condicionales enuntiantur: c. IIII, 8, 20 *neque si chartae sileant, quod bene feceris, mercedem tuleris.* Ep. I, 2, 54 *Sincerumst nisi vas, quodcumque infundis, acescit.* cf. S. I, 3, 111; II, 5, 8; c. II, 2, 3; III, 24, 5; Ep. I, 11, 25; 11, 30; 12, 5; 16, 17; Ep. II, 2, 149; A. P. 31 etc.

Sed etiam aliae formae iudicii adhibentur: S. I, 2, 24 *dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.* II, 6, 96 *dum licet, vive beatus.* Ep. I, 18, 84 *nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.* c. III, 3, 49 *aurum melius situm, cum terra celat.* IIII, 4, 35 *utcumque defecere mores, dedecorant bene nata culpae.*

Multae sententiae per enuntiationem relativam proferuntur. Ep. I, 16, 65 *nam qui cupiet, metuet quoque: porro qui metuens vivet, liber mihi non erit umquam. perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui semper in augenda festinat et obruitur re.* cf. S. I, 4, 81; II, 3, 220; epod. 2, 1; c. I, 13, 17; II, 14, 9; 16, 13; Ep. I, 1, 40; 2, 46 etc.

Nonnullae a verbo aliquo sentiendi vel declarandi pendent, quod ipsum sententiae non particeps est. c. IIII, 11, 30 *putando ultra quam licet sperare nefas.* S. I, 4, 40; Ep. II, 1, 112; 1, 125; 2, 151; A. P. 368. In aliis autem id verbum, a quo alia pendent, summum pondus habet ut S. I, 3, 74 *aequumst peccatis veniam poscentem reddere rursus.*

Saepe sententiae interrogativae adhibentur, ut maiore vi probetur, quam verae fideque sint dignae. S. II, 7, 70 *quae belua ruptis, cum semel effugit, reddit se prava catenis?* c. II, 16, 19 *patriae quis exul se quoque fugit?* cf. S. I, 2, 111; II, 8, 61; c. II, 11, 11; 16, 17; c. III, 24, 35; epod. 11, 11; Ep. I, 5, 12; 5, 16; 20, 16. — In Ep. I, 6, 29 sententia ex interrogatione et verbis antecedentibus promenda est: *Vis recte vivere; quis non?* Sententia est: quis non recte vivere vult? i. e. omnes homines student beati fieri.

Nonnullae sententiae interrogativae ita proferuntur, ut altera pars sententiae ab altera pendeat: c. IIII, 7, 17 *quis scit an adiciant hodiernae crastina summae tempora di superi?* S. II, 3, 166 *quid enim differt, barathrone dones quidquid habes an numquam utare paratis?* — Hoc loco sunt etiam eae sententiae ponendae c. II, 13, 14 *quid quisque vitet numquam homini satis cautumst in horas.* c. II, 3, 21: *divesne prisco natus ab Inacho nil interest an pauper sub divo moreris.*

Interdum sententiae solae ex aliis verbis, quae ipsarum partes non sunt, pendent. S. I, 1, 1 *qui fit, ut nemo, quam sibi sortem seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa contentus vivat, laudet diversa sequentis?* S. II, 2, 71 *nam variae res ut noceant homini, credas memor illius escae.* cf. S. II, 1, 50; Ep. I, 16, 63.

Sequitur, ut ea verba, quibus poeta dicta sua esse iudicia communia significat, tempora, quae in eis proferendis adhibet, coniunctiones, a quibus sententias incipit, contemplemur.

Ac primum quidem cum verbis *omnis, nemo, nihil, numquam, semper* similibusque usus ostendat, iudicio atque opinione omnium aut nullius vel semper aut numquam rem illam, de qua loquitur, vigere —, vel cum aliquid proponat, quod omnium aut nullius proprium est, — iudicium commune pronuntiat. c. I, 28, 15 *omnes una manet nox.* Vocabulum *omnis* in his sententiis apparet: S. I, 3, 1; I, 7, 10; II, 4, 31; 3, 94; C. II, 3, 25; III, 1, 16. Ep. I, 7, 21; II, 2, 58. *Quicumque, quivis* in his: C. II, 14, 9; 10, 5; S. II, 3, 43; Ep. I, 6, 24; 11, 22; A. P. 335. *Ubicumque* S. II, 2, 61. *Quisque* S. II, 1, 23; 1, 50; Ep. I, 10, 47; 7, 98. *Semper* S. II, 8, 61. *Fortuna, ut semper gaudes illudere rebus humanis.* cf. Ep. I, 2, 56; 16, 68; A. P. 9, 58. Sequuntur sententiae, quae *semper* leniunt in *plerumque, saepe, interdum, non semper.* — *Interdum* A. P. 319; *saepe* S. I, 10, 72; Ep. I, 18, 68; C. I, 7, 15; II, 10, 9; *persaepe* S. II, 2, 82; A. P. 349; *plerumque* C. III, 29, 13; S. I, 10, 14; *non semper* S. II, 4, 43; C. II, 9, 1; 11, 8; A. P. 10; 350. — In aliis sententiis iudicium commune negationibus *nemo, nihil, numquam* efficitur: S. I, 1, 1 *Nemo,* quam sibi sortem ratio dedit seu fors obiecit, illa contentus; I, 3, 68; Ep. I, 1, 39; S. I, 5, 44 *nil ego contulerim iucundo amico*; cf. I, 9, 59; II, 3, 103; epod. 11, 11; C. I, 3, 36; I, 28, 19, *nullum saeva caput Proserpina fugit;* S. II, 4, 48, *nequaquam satis est in re una consumere curam.*

Negatio lenitur in *raro:* S. I, 1, 117 *inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum dicat, — reperire queamus*; C. III, 2, 32. — Pauca alia vocabula, quae ad iudicium commune efficiendum valent, haec sunt: S. I, 3, 111 *iura inventa metu iniusti fateare necessest.* Ep. I, 6, 1 *Nil admirari prope res est una solaque*

quae possit facere et servare beatum. A. P. 24 *Maxima pars vatum decipimur specie recti.*

Coniunctionum copulativas, conclusivas, adversativas, causales adhiberi videmus aut omnino nullas. Copulativae raro inveniuntur: c. IIII, 4, 22; 8, 20 habent *neque;* — S. I, 2, 82 *atque;* — Ep. I, 18, 85 *et;* — A. P. 51; 311 *que.*

Adversativae: *sed* S. I, 6, 23; II, 4, 31; 8, 73; C. I, 24, 19; 28, 15; II, 13, 19; III, 1, 37; Ep. I, 11, 11; *autem* Ep. II, 1, 260; *at* C. I, 35, 25; Ep. I, 2, 42; *atqui* S. II, 5, 7; *verum* C. IIII, 12, 25; Ep. II, 2, 106.

Causales: *nam* S. I, 3, 68; 3, 107; C. I, 18, 3; Ep. I, 16, 55; 16, 65; 17, 9; *namque* S. I, 3, 36; *enim* S. I, 4, 40; II, 3, 225; 3, 94; 3, 166; Ep. I, 16, 50; 19, 48; *etenim* S. I, 7, 10; *scilicet* C. II, 14, 9; III, 24, 62; Ep. I, 6, 36; *nempe* S. II, 107; *nimirum* Ep. II, 2, 141. — Simili munere funguntur *ut* S. I, 9, 42 *ut contendere durumst cum victore;* II, 8, 62. *quoniam* S. II, 4, 25.

Coniunctio conclusiva *ergo* adhibita est S. I, 4, 54; I, 10, 7; II, 3, 320.

Simili munere funguntur *eo fit* S. I, 1, 56; *inde fit* S. I, 1, 117; II, 8, 65; *quocirca* S. II, 2, 135; 6, 95.

Particula *denique,* quae quod antecessit comprehendit, bis invenitur: Ep. II, 2, 58; A. P. 23; eodem munere fungitur *ad summum* Ep. I, 1, 106.

Reperiuntur igitur coniunctiones copulativae 6; adversativae 14; causales 22, conclusivae 8. Cum cc. 300 sententiae adsint, vix sexta pars cum coniunctionibus annexa est.

Temporum, quae in sententiis proferendis adhibentur, saepissime apparet praesens, cum optime idoneum sit, quo commune aliquid exprimatur. Nam si quis nobis persuadere vult, rem aliquam ita se habere, ut ipse sibi persuasit, illo tempore utatur necesse est, quo quod re vera exstat demonstrare solemus. Tamen interdum etiam tempus futurum invenitur, sive res ipsa poscit, ut A. P. 68 *mortalia facta peribunt,* sive poeta nescio qua causa commotus eo tempore usus est, ut A. P. 350 *non semper feriet quodcumque minabitur arcus,* ubi non minus apte praesens adhiberi potuit, praesertim cum id tempus antecedat: *neque chorda sonum reddit, quem volt manus et mens.* — Futurum habent hae

sententiae: S. II, 3, 96; 3, 209; 2, 53; C. II, 10, 1; 14, 13; 16, 31; IIII, 11, 35; Ep. I, 2, 59; 6, 25; 10, 24; 10, 28; 10, 31; 10, 42; 11, 11; 12, 6; 16, 65; A. P. 40; 42; 51; 68; 114; 311; 350; 389. — Futurum exactum habet C. I, 11, 7. — Interdum futurum cum alio tempore coniungitur: C. II, 13, 19 *sed improvisa leti vis rapuit rapietque gentis.* — Eodem modo: Ep. I, 7, 20; A. P. 58.

Sed etiam perfectum solum in sententiis invenimus, quod aoristo gnomico Graecorum respondet: quo tempore quod observavimus in nobisque experti sumus exprimimus. S. I, 9, 59 *Nil sine magno vita labore dedit mortalibus.* Nec vero est, cur illud *dedit* vertamus: *pflegt zu geben;* recte vertimus: *hat gegeben.* Nos ipsi in sententiis interdum tempore praeterito utimur; exempli gratia Fausti verba, quae Horati dicto haud dissimilia sunt, afferam:

Soll ich vielleicht in tausend Büchern lesen,
Dass überall die Menschen sich gequält?

In his sententiis perfectum apparet: S. I, 3, 107; C. I, 18, 3; 28, 20; II, 16, 20; III, 2, 33; 29, 16; IIII, 9, 19; 9, 25; Ep. I, 2, 47; 17, 37; 19, 48; A. P. 9; 343; 412.

Sequitur, ut breviter quae sit longitudo sententiarum disseramus. Demetrius *περὶ ἑρμ.* 9: *εἰ δὲ ἐκτείνοιτό τις τὴν γνώμην ἐν μακροῖς, διδασκαλία γίνεταί τις καὶ ῥητορεία ἀντὶ γνώμης.* Velut *Auream quisquis mediocritatem diligit tutus caret obsoleti sordibus tecti, caret invidenda sobrius aula* institutioni cuidam haud dissimile est. Nec minus III, 1, 25—32 *desiderantem quod satis est neque tumultuosum sollicitat mare nec saevus arcturi cadentis impetus aut orientis haedi, nec verberatae grandine vineae fundusque mendax, arbore nunc aquas culpante, nunc torrentia agros sidera, nunc hiemes iniquas.* — Illarum 321 sententiarum, quae apud Horatium inveniuntur, circiter tertia pars (108) ex singulis versibus constant, aliae plures complectuntur, saepe ternos (51) et quaternos (44), nonnullae vel octonos: C. II, 3, 21; 18, 32; III, 1, 17; 3, 1; 24, 1; IIII, 9, 45; Ep. I, 12, 3 etc.

Tamen ipse in arte poetica, ut breves essent, Horatius suasit poetis: v. 335.

quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
percipiant animi dociles teneantque fideles.
omne supervacuum pleno de pectore manat.

atque S. I, 10, 9

est brevitate opus, ut currat sententia neu se
inpediat verbis lassas onerantibus auris.

Quamquam hi versus illo loco contra Lucilium prolati sunt, tamen omnino ad sermonem poeticum quadrant.

Insipientis autem est, sententias quasdam ob solam longitudinem spurias putare, ut ad c. IIII, 9, 45—52 *non possidentem multa vocaveris recte beatum; rectius occupat nomen beati, qui deorum muneribus sapienter uti duramque callet pauperiem pati peiusque leto flagitium timet, non ille pro caris amicis aut patria timidus perire* Peerlkampius adnotat: '*amplificatio sententiae per octo versus debetur glossatori.*' Quae causa nihil nos movere potest. Praeterea sententia illa bene totum carmen terminat: carmina non interibunt. Tu dignus es, qui oblivioni eripiare; tu es prudens, in secundis aeque atque in dubiis temporibus rectus, contentus paucis, iudex, qui honestum praefert utili et reicit dona nocentium alto vultu. Atque recte facis. Nam vera felicitas alibi invenitur: *non possidentem multa* etc. — Is vir, qui non soli pecuniae studet, pro patria, si opus est, pericula subire non verebitur. — Quis Horatium tam male novit, ut hanc cogitationem ei abiudicet?

Sed ut sententiarum nimia longitudo, ita cumulatio vituperanda est. Recte enim Cornificius IIII, 17 monet: *sententias interponi raro convenit, — si ita interponentur, multum afferent ornamenti.*

In venustate sententiarum Horatianarum saepe vitia poetae posita sunt. Quarum copia saepe nimia est, velut in carm. 10 libr. II, in quo omnis versus sententia est. — C. II, 14 per quattuor strophas eadem cogitatio explanatur: omnibus hominibus moriendum esse. Talibus locis poeta ipse parum loquitur, cum nihil novi proferat, sed ea, quae iam omnibus quasi nota sunt. Quantum autem spatii omnino sententiae capiant, his numeris patet: carmina omnia ex 7815 versibus composita sunt, sententiae ipsae 758 versus continent.

Quam abundantiam ab antiquis poetis alienum fuisse ostentabant, qui plus videbant: Petronius S. 1, 2 *sententiarum vanissimum strepetium* queritur, qui non inveniebatur temporibus Homeri, Pindari, Sophoclis etc. Atque Quintilianus VIII, 5, 2 ita: *sententiae —, quae minus crebrae apud antiquos nostris temporibus modo carent.*

Sententia cum sit iudicium commune, quod verum esse omnes concedunt, rebus quibus apponitur maiorem probabilitatem dare studet[22]). Qua ab re profecti, in quibus generibus disputationis sententiae adhibitae sint, examinemus. Aristoteles I, 157, 12 *γνώμαις δὲ χρηστέον καὶ ἐν διηγήσει καὶ ἐν πίστει.* Sed narratio magis ad oratorium usum quam ad poeticum pertinet, imprimis apud Horatium raro invenitur. Ac ne in talibus quidem carminibus, in quibus narratio praevalet, poeta ipse prodire vel suas debet afferre cogitationes[23]). Sed in *πίστει*, et in confirmatione et in refutatione, sententiae multum ab Horatio adhibitae sunt. Cuius carmina saepe illud praeceptum, quod continent, confirmant ab omnibusque partibus considerant. C. II, 10 Licinium monet, ne de aurea mediocritate decedat. Thema carminis primis versibus datur:

1—4 *Rectius vives, Licini, neque altum*
semper urguendo neque, dum procellas
cautus horrescis, nimium premendo
litus iniquum.

Quasi re ipsa poeta dicere cogitur, cur ita rectius vivat et quid commodi secum ferat mediocritas:

5—8 *auream quisquis mediocritatem*
diligit tutus caret obsoleti
sordibus tecti, caret invidenda
sobrius aula.

---

[22]) cf. Nicolaus rh. gr. III, 464, 9: *εἴρηται δὲ γνώμη ἀπὸ τοῦ γνῶσίν τινα καὶ πίστιν ἐμποιεῖν τοῦ προκειμένου, οὗ χάριν ἐνθυμηματικῶς παρείληπται. τὸ γὰρ 'οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη' γνῶσιν ἐναργῆ οἷον ἐπιστρέφουσαν ἐφιστάνειν τῷ προειρημένῳ ἐνεποίησε καὶ ἀπόδειξιν ἐναργῆ τοῦ μὴ πάντας ἐθέλειν βασιλεύειν. οὐδὲ γὰρ ἀγαθόν.*

[23]) Arist. poet. 1460a 5: *Ὅμηρος δὲ ἄλλα τε πολλὰ ἄξιος ἐπαινεῖσθαι καὶ δὴ καὶ ὅτι μόνος τῶν ποιητῶν οὐκ ἀγνοεῖ ὃ δεῖ ποιεῖν αὐτόν, αὐτὸν γὰρ δεῖ τὸν*

Ut sententiam suam confirmet, pericula quae eis, qui auream mediocritatem non obtinent, imminent metaphorice depingit:

9—12 *saepius ventis agitatur ingens*
pinus et celsae graviore casu
decidunt turres feriuntque summos
fulgura montis.

Tum ad alteram partem carminis transit, qua demonstrat tempora meliora reditura, si quando calamitate afflicti erimus[24]). Nam illi, qui nimia petunt, temporibus mutatis omnia desperare solent:

15—20 *informis hiemes reducit*
Iuppiter, idem
submovet. non si male nunc, et olim
sic erit: quondam citharae tacentem
suscitat musam neque semper arcum
tendit Apollo.

Sed poeta non a se impetrat, ut abrupte utramque sententiam (9—12 et 15—20) iuxta collocet; coniungit eas tertia sententia, quae alteram ad alteram traducat:

13—15 *sperat infestis, metuit secundis*
alteram sortem bene praeparatum
pectus.

Poeta ad finem pervenit: restat, ut quae dixit breviter comprehendat:

21—24 *rebus angustis animosus atque*
fortis adpare: sapienter idem
contrahes vento nimium secundo
turgida vela.

Quibus verbis ad eam cogitationem, qua carmen coeperat, revertitur.

ποιητὴν ἐλάχιστα λέγειν, οὐ γάρ ἐστι κατὰ ταῦτα μιμητής. Atque in imitatione Aristoteles omnem poesin sitam esse censet 1447^a 15.

[24]) Videmus dispositionem carminis non servatam esse. Desideramus ea pericula, quae eis imminent, qui *nimium premunt litus iniquum.*

Carm. II, 16 Otium divos rogat nauta, otium Thraces et Medi. *Otium non gemmis neque purpura venale neque auro.* Quod poeta insequente stropha probat atque confirmat:

9—12 *non enim gazae neque consularis*
submovet lictor miseros tumultus
mentis et curas laqueata circum
tecta volantis.

Quiete autem vivit, qui parvo contentus est.

13—16 *vivitur parvo bene, cui paternum*
splendet in mensa tenui salinum
nec levis somnos timor aut cupido
sordidus aufert.

Itaque ne multa petamus, nam cura, quocumque iverimus, nos sequetur:

17—20 *quid brevi fortes iaculamur aevo*
multa? quid terras alio calentis
sole mutamus? patriae quis exsul
se quoque fugit?

21—24 *scandit aeratas vitiosa navis*
curas, nec turmas equitum relinquit,
ocior cervis et agente nimbos
ocior Euro.

Quapropter, si bene beateque vivere volumus,

25—28 *laetus in praesens animus quod ultra est*
oderit curare et amara lento
temperit risu: nihil est ab omni
parte beatum.

Ita poeta iudiciis communibus ac praeceptis, quae vera esse et recta vix quisqam negare potest, confirmare studet otium non gemmis neque auro venale esse, otium ab unoquoque in se ipso inveniri posse, cum laetus eis rebus fruatur, quas *porrigit hora* atque cum *oderit curare, quod ultra est.*

Sed etiam ex eis locis, quibus paucae sententiae vel una apparet, facile intellegi potest, poetam studere sententia rebus,

quibus apponit, perspicientiam et fidem dare: Ep. I, 2, 67 *nunc adbibe puro pectore verba puer* (= dum puer es), *nunc te melioribus offer.* Sententia insequens illud *puer* explicat: *quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.* C. IIII, 9, 25 *vixere fortes ante Agamemnona multi: sed omnes inlacrimabiles urguentur ignotique longa nocte, carent quia vate sacro.* — Nam poeta: *Paullum,* inquit, *sepultae distat inertiae celata virtus.* — A. P. 464 *deus immortalis haberi dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam insiluit. sit ius liceatque perire poetis, invitum qui servat idem facit occidenti.* Ribbeckius delet hunc versum *als entbehrlich, trocken und durch seine lehrhafte Allgemeinheit aus dem Tone fallend.* At illud *sit ius* etc. ratione aliqua egere mihi videtur. Illae autem sententiae, quae ex singulis versibus constant et sine coniunctione adnectuntur, imprimis in arte poetica inveniuntur. Similis cogitatio apparet Ep. I, 20, 14 *ridebit monitor non exauditus, ut ille qui male parentem in rupis protrusit asellum iratus: quis enim invitum servare laboret?* Atque similes sententias Horatius saepe adhibuit, ut postea videbimus.

Vi illa sententiae Horatius in dialogis quoque vel cum adversarius fictus apparet efficaciter usus est. S. I, 1, 51 poeta non intellegit, quid pulchri habeat constructus acervus auri. Sed adversarius, ut suam defendat opinionem, solum iudicium commune affert: *at suavest ex magno tollere acervo.* Poetae autem, cum illud iudicium verum esse negare nequeat, alia sententia praesto est, qua pericula nimiae copiae depingit: v. 56 *eo fit, plenior ut si quos delectet copia iusto, cum ripa simul avolsos ferat Aufidus acer.* Ita sententia sententiae repugnare studet.

In Satirarum libro secundo, in quo Horatius primas aliis agendas tradidit, saepe sententiae similem in modum adhibitae sunt: 1, 23; 2, 6; 2, 8; 5, 7; 8, 6; 8, 65; 8, 73. — Similiter S. I, 1, 7; 9, 59; Ep. II, 2, 151; A. P. 9.

Sed iam de argumento sententiarum nobis dicendum est. — Aristoteles I, 102, 21 summam utilitatem, quae ex sententioso genere dicendi percipi possit, hanc esse censet: *ἠθικοὺς ποιεῖ τοὺς λόγους. Ἦθος δ' ἔχουσι οἱ λόγοι, ἐν ὅσοις δήλη ἡ προαίρεσις. αἱ δὲ γνῶμαι πᾶσαι τοῦτο ποιοῦσι διὰ τὸ ἀποφαίνεσθαι τὸν τὴν γνώμην λέγοντα καθόλου περὶ τῶν προαιρέσεων, ὥστ' ἂν χρησταὶ ὦσιν αἱ γνῶμαι καὶ χρηστοήθη φαίνεσθαι ποιοῦσι τὸν λέγοντα.* Itaque

quales sententiae, talis fere poetae. En, cur Horatius sit in deliciis! Sententiae enim huius poetae et praecepta, quae ex eis elucent, id exprimunt, quod nobis gratum acceptumque esse solet. Accedit, ut saepe acumine sententiae nota eleganter referentis ita delectemur, ut eam non audivisse, sed quasi ipsi invenisse nobis videamur[25]).

Sententiae ipsae ad diversissimas res pertinent: optime duodecim genera distinguuntur. Qua in re videbimus, cogitationes quasdam poetae iterum iterumque apparere; nimirum: in animo eius inveteraverunt, non ex frivola libidine emanaverunt[26]).

I. Magnus est numerus talium sententiarum, quae ad vitam cottidianam pertinent, quibus poeta ea ostendit, quae omnibus hominibus cottidie accidunt.

Non paucae ad res adnectuntur, quae sensibus percipi possunt: Ep. 6, 24 *quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas, defodiet condetque nitentia*[27]). 10, 42 *cui non conveniet sua res, ut calceus olim, si pede maior erit, subvertet, si minor uret*[28]). 18, 84 *nam tua res agitur, paries cum proximus ardet, et neglecta solent incendia sumere viris.* A. P. 347 *sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus: nam neque chorda sonum reddit quem volt manus et mens, poscentique gravem persaepe remittit acutum, nec semper feriet quodcumque minabitur arcus*[29]). cf. S. I, 3, 107; 2, 82; S. II,

---

[25]) Hanc proprietatem naturae humanae bene cognoverunt Aristoteles, Ps. Longinus, Quintilianus. Arist. I, 102, 9 *χαίρουσι γάρ, ἐάν τις καθόλου λέγων ἐπιτύχῃ τῶν δοξῶν, ἃς ἐκεῖνοι κατὰ μέρος ἔχουσι.* Ps. Longinus *περὶ ὕψους* VII *φύσει γάρ πως ὑπὸ τἀληθοῦς ὕψους* (bona sententia sublimitate non caret) *ἐπαίρεταί ἡμῶν ἡ ψυχὴ καὶ γαῦρόν τι ἀνάστημα λαμβάνουσα πληροῦται χαρᾶς καὶ μεγαλαυχίας, ὡς αὐτὴ γεννήσασα ὅπερ ἤκουσεν.* — Quintilianus VIII, 2, 21 *sed auditoribus etiam nonnulla grata sunt haec, quae cum intellexerunt, acumine suo delectantur et gaudent, non quasi audierint, sed quasi invenerint.*

[26]) Sententiarum exemplaria, quae quidem partim ex aliorum adnotationibus sumere partim ipse invenire potuerim (imprimis apud Menandrum) afferam.

[27]) Soph. Aiax 646 *ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος φύει τἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται.*

[28]) Aristippus: Stob. 94, 32 *οὐχ ὥσπερ ὑπόδημα τὸ μεῖζον δύσχρηστον, οὕτω καὶ ἡ πλείων κτῆσις. τοῦ μὲν γὰρ ἐν τῇ χρήσει τὸ περιττὸν ἐμποδίζει, τῇ δὲ καὶ ὅλῃ χρῆσθαι κατὰ καιρὸν ἔξεστι καὶ μέρει.*

[29]) Cum de argumento sententiarum disseramus, illius sententiae explicandae causa hoc addam: *Delicta illa* ad argumentum carminum, non ad formam referenda sunt. Quapropter sententia a Ribbeckio falso post versum 294 posita est. Nam nullo modo hi versus uno tenore proferri possunt: 292

1, 51; 3, 103; 4, 16; 4, 25; c. IIII, 9, 20; 9, 25; Ep. I, 6, 28; 6, 45; 7, 44; Ep. II, 1, 146; 2, 149.

Vinum his praedicatur: Ep. I, 5, 16 *quid non ebrietas designat? operta recludit, spes iubet esse ratas*[30]), *ad proelia trudit inertem, sollicitis animis onus eximit, addocet artis. fecundi calices quem non fecere disertum? contracta quem non in paupertate solutum?* cf. C. I, 18, 3; II, 11, 17. Quid probandum et eligendum, quid reiciendum et fugiendum sit, in universum his sententiis demonstrat: S. I, 106 *est modus in rebus, sunt certi denique fines, quas ultra citraque nequit consistere rectum.* Ep. I, 7, 98 *metiri se quemque suo modulo ac pede verumst.* 14, 44 *quam scit uterque, libens exerceat artem*[31]). cf. S. I, 2, 61; 2, 134; Ep. I, 17, 37; 17, 44. — Ep. I, 1, 32 *est quadam prodire tenus, si non datur ultra.* S. I, 3, 68 *nam vitiis nemo sine nascitur: optimus illest, qui minimis urguetur.* S. II, 3, 265 *quae res nec modum habet neque consilium, ratione modoque tractari non volt. in amore haec sunt mala, bellum, pax rursum: haec siquis tempestatis prope ritu mobilia et caeca fluitantia sorte laboret reddere certa sibi, nihilo plus explicet ac si insanire paret certa ratione modoque*[32]). cf. S. I, 3, 74; S. I, 9, 42; 9, 59; S. II, 2, 71; 4, 48; C. III, 2, 32; Ep. I, 16, 17; 18, 68; 20, 16; II, 1, 114; 1, 125; A. P. 367; 379; 390; 412; 407.

De voluptatibus studiisque hominum hae sunt: S. II, 1, 27 *quot capitum vivunt, totidem studiorum*[33]). Ep. I, 1, 49 *quis circum pagos et circum compita pugnax magna coronari contemnat*

---

carmen reprehendite, quod non multa dies et multa litura coercuit atque praesectum deciens non castigavit ad unguen. 347 *sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus* sq. 351 *verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis offendar maculis, quas aut incuria fudit aut humana parum cavit natura.* — vv. 292 sq. in parte, quae est de re metrica positi sunt, vv. 347 sq. in ea, quae est de argumento librorum. Quod testantur et alii et hi versus: 338 *ficta voluptatis causa sint proxima veris.* 343 *omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci etc.* 365 *haec placuit semel, haec deciens repetita placebit.*

[30]) Aristot. Eth. III, 11 *οἱ μεθυσκόμενοι εὐέλπιδες γὰρ γίγνονται.*

[31]) Aristophanes Vesp. 1431 *ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.* Cicero Tusc. I, 17, 41 *quam quisque norit artem, in hac se exerceat.*

[32]) Terentius Eun. 12 *quae res in se neque consilium neque modum habet ullum, eam consilio regere non potes. in amore haec omnia insunt vitia, iniuriae, suspiciones, inimicitiae, indutiae, bellum, pax rursum: incerta haec si tu postules ratione certa facere, nilo plus agas, quam si des operam ut cum ratione insanias.*

[33]) Terentius Phorm. 454: *quot homines, tot sententiae.*

Olympia, cui spes, cui sit condicio dulcis sine pulvere palmae? 17, 33 *res gerere, et captos ostendere civibus hostis, attingit solium Iovis et caelestia temptat. principibus placuisse viris non ultima laus est.* S. II, 7, 6 *pars hominum vitiis gaudet constanter et urguet propositum, pars multa natat, modo recta capessens, interdum pravis obnoxia.* cf. S. I, 1, 7; Ep. I, 6, 29; 17, 39.

De iure et iniuria hae sententiae proferuntur: S. I, 3, 96 *quis paria esse fere placuit peccata, laborant cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi*[34]). 3, 111 *iura inventa metu iniusti fateare necessest, tempora si fastosque velis evolvere mundi*[35]). 3, 113 *nec natura potest iusto secernere iniquum, dividit ut bona diversis, fugienda petendis, nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque qui teneros caulis alieni fregerit horti et qui nocturnus sacra divum legerit. adsit regula, peccatis quae poenas inroget aequas, ne scutica dignum horribili sectere flagello.*

Volgi ipsius iudicium semel profertur: Ep. II, 1, 51 *audieras: cui rem di donarent, illi decedere pravam stultitiam.*

II. Simili generi tribuendae sunt eae sententiae, quae ad rerum naturam pertinent. Ep. I, 10, 24 *Naturam expelles furca, tamen usque recurret et mala perrumpet furtim fastidia victrix.* Cuius sententiae quasi illustrationem praebet S. I, 3, 36 *namque neglectis urenda filix innascitur agris.*

Tempora mutantur: c. IIII, 7, 9 *frigora mitescunt zephyris, ver proterit aestas interitura simul pomifer autumnus fruges effuderit, et mox bruma recurrit iners, damna tamen celeres reparant caelestia lunae.* II, 10, 15 *informis hiemes reducit Iuppiter, idem submovet.* cf. II, 9, 1; 11, 9; 18, 15.

Saepissime tales sententiae metaphorice adhibentur, imprimis c. II, 2, 13 *crescit indulgens sibi dirus hydrops, nec sitim pellit,*

---

[34]) Cic. de fin. 19, 55 *recte facta omnia aequalia, omnia peccata paria: quae cum magnifice primo dici viderentur, considerata minus probantur: sensus enim cuiusque et natura rerum atque ipsa veritas clamabat quodammodo non posse adduci, ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset.*

[35]) *τὸ δίκαιόν φασι φύσει εἶναι καὶ μὴ θέσει.* Stob. ecl. phys. II, 7, p. 184. Horatius igitur Epicureus (cf. Zeller, III, 1^3, 455) huic dogmati Stoicorum repugnat.

nisi causa morbi fugerit venis et aquosus albo corpore languor[36]). 10, 19 *saepius ventis agitatur ingens pinus et celsae graviore casu decidunt turres feriuntque summos fulgura montis*[37]). S. II, 7, 70 *quae belua ruptis cum semel effugit reddit se prava catenis?*[38]). cf. c. III, 4, 29; Ep. I, 2, 43; 16, 50.

De cibariis a Catio Epicureo S. II, 4, hae sententiae proferuntur: 31 *sed non omne mare est generosae fertile testae.* 43 *vinea submittit capreas non semper edulis.*

III. Naturam humanam quam bene noverit, saepe poeta demonstrat. Cum risu hominibus verum dicere in satiris Horatius sibi proposuit. Nam *ridentem dicere verum quid vetat* (S. I, 1, 24). Haud ignorat, quid valeat *ridiculum:* S. I, 10 14 *ridiculum acri fortius et melius magnas plerumque secat res.* Ep. II, 1, 262[39]) *discit enim citius meminitque libentius illud quod quis deridet quam quod probat et veneratur.*

Illud *ridiculum* saepe nescio quo pacto ex sententiis elucet, cum perversitatem hominum quorundam forma certi iudicii enuntiet: Ep. II, 2, 106 *ridentur mala qui componunt carmina: verum gaudent scribentes et se venerantur et ultro, si taces, laudant quidquid scripsere beati*[40]). S. I, 3, 1 *Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos ut numquam inducant animum cantare rogati, iniussi numquam desistant.* Ep. I, 18, 23 *quem tenet argenti sitis inportuna famesque, quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus, saepe decem vitiis instructior, odit et horret, aut, si non odit, regit ac veluti pia mater plus quam se sapere et virtutibus esse priorem volt et ait prope vera: 'meae (contendere noli) stultitiam patiuntur opes, tibi parvola res est.'* A. P. 139 *parturiunt montes, nascetur ridiculus mus*[41]). cf. S. I, 2, 24; 7, 10; II, 5, 90; Ep. I, 18, 86; II, 1, 260; 2, 10; A. P. 431. Acrius castigat poeta his dictis: Ep. I, 7, 20 *prodigus et stultus donat quae sper-*

36) Bionea imago cf. Stob. flor. 93, 31 et 97, 31.

37) Frg. tragic. 462 *ὄγκου δὲ μεγάλου πτῶμα γίγνεται μέγα.* cf. Herodot. VII, 10, 5.

38) *ἀλώπηξ διαφυγοῦσα πάγας αὖθις οὐχ ἁλίσκεται* Zenob. I, 67.

39) Epistulas hoc loco cum satiris conferri parvi refert.

40) cf. Catullus 22, 15 *neque idem* (Suffenus) *umquam aeque est beatus ac poema cum scribit: tam gaudet in se tamque se miratur.*

41) *ὤδινεν ὄρος, εἶτα μῦν ἀπέτεκεν* (Diogenian. 8, 75).

nit et odit: haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis. S. II, 2, 6 *adclinis falsis animus meliora recusat.* 2, 8 *male verum examinat omnis corruptus iudex.* cf. epod. 4, 6. Ep I, 19, 17. Etiam c. III, 24, 31 hic ponendum est: *virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quaerimus invidi.*

Varia sunt palata hominum Ep. II, 2, 58 *denique non omnes eadem mirantur amantque.* A. P. *siquid fricti ciceris probat et nucis emptor, non aequis animis accipiunt donantve corona, quibus est equus et pater et res.* — Ep. I, 18, 89 *oderunt hilarem tristes tristemque iocosi, sedatum celeres, agilem gnavumque remissi, potores bibuli media de nocte Falerni oderunt porrecta negantem pocula, quamvis nocturnos iures te formidare tepores.* — cf. 18, 94 Tamen affectus facile in alios transfunduntur: A. P. 101 *ut ridentibus adrident, ita flentibus adflent humani voltus.*

Suam quisque sequitur naturam: S. II, 1, 50 *ut quo quisque valet suspectos terreat utque imperet hoc natura potens, sic collige mecum*[42]).

Quam sint timidi homines, hac dicit: S. II, 1, 23 *cum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit.*

Animos hominum leniunt anni et cultura: C. III, 14, 25 *lenit albescens animos capillus litium et rixae cupidos protervae.* Ep. I, 1, 39 *nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit, si modo culturae patientem commodet aurem*[43]).

Viam ad beatam vitam monstrat: Ep. I, 6, 1 *Nil admirari prope res est una solaque quae possit facere et servare beatum*[44]). cf. 6, 9; 6, 12; epod. 1, 18.

Emolumenta et modestiae et fiduciae sui ostendit: Ep. I, 17, 43 *coram rege sua de paupertate tacentes plus poscente ferent.* A. P. 51 *dabiturque licentia sumpta pudenter.* Ep. I, 19, 22 *qui sibi fidit, dux regit examen.*

Linguam interpretem esse affectuum ab Epicuro videtur didicisse[45]): A. P. 108 *format enim natura prius nos intus ad*

42) cf. Lucretius V, 1033 *sentit enim vim quisque suam quoad possit abuti.*

43) Menander Sent. monost. 41 *ἅπαντας ἡ παίδευσις ἡμέρους τελεῖ.*

44) Poeta meminit Democriteae *ἀθαμβίας, καθ' ἣν γαληνῶς καὶ εὐσταθῶς ἡ ψυχὴ διάγει, ὑπὸ μηδενὸς ταραττομένη φόβου ἢ δεισιδαιμονίας ἢ ἄλλου τινὸς πάθους.* Diog. IX, 7, 45.

45) *ὁ γὰρ Ἐπίκουρος ἔλεγεν ὅτι . . . ἔθεντο τὰ ὀνόματα φυσικῶς κινούμενοι, ὡς οἱ βήσσοντες καὶ πταίροντες καὶ μυκώμενοι καὶ ὑλακτοῦντες καὶ στενάζοντες* frg. 335. Us.

omnen fortunarum habitum: iuvat aut inpellit ad iram, aut ad humum maerore gravi deducit et angit: post effert animi motus interprete lingua.

IIII. Omnino animi perturbationes ac depravationes sententiis acutis comprehendebantur.

Inconstantia et levitas: C. I, 35, 25 *at volgus infidum et meretrix retro periura cedit, diffugiunt cadis cum faece siccatis amici, ferre iugum pariter dolosi.* Ep. I, 14, 11 *cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.* Ep. II, 1, 101 *quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?* S. I, 1, 117 *inde fit, ut raro qui se vixisse beatum dicat et exacto contentus tempore vita cedat uti conviva satur reperire queamus*[45a]). cf. S. I, 4, 81.

Audacia: C. I, 3, 25 *audax omnia perpeti gens humana ruit per vetitum nefas.* 3, 36 *nil mortalibus arduist: caelum ipsum petimus stultitia.*

Invidia: Ep. I, 2, 57 *invidus alterius macrescit rebus opimis: invidia Siculi non invenere tyranni maius tormentum*[46]). Ep. II, 1, 12 *comperit invidiam supremo fine domari.* — Vir ingeniosus hominibus eiusdem aetatis odio est: Ep. II, 1, 13 *urit enim fulgore suo qui praegravat artis infra se positas: extinctus amabitur idem.* S. II, 8, 6 *eoque responsura tuo numquam est par fama labori.*

Ira: Ep. I, 2, 59 *qui non moderabitur irae, infectum volet esse dolor quod suaserit et mens, dum poenas odio per vim festinat inulto. ira furor brevis est*[47]). Ep. I, 19, 48 *ludus enim genuit trepidum certamen et iram, ira trucis inimicitias et funebre bellum*[48]).

Gloriae cupiditas: S. I, 6, 23 *sed fulgente trahit constrictis gloria curru non minus ignotos generosis.*

[45a]) Lucretius III, 938 *cur non ut plenus vitae conviva recedis, aequo animoque capis securam, stulte, quietem?*

[46]) Menander inc. 12. M. *σὲ δὲ τὸ κάκιστον τῶν κακῶν πάντων, φθόνος φθισικὸν πεποίηκε καὶ ποιήσει καὶ ποιεῖ.*

[47]) Menander Sent. monost. 415 *Οὐδεὶς μετ' ὀργῆς ἀσφαλῶς βουλεύεται.* Seneca de ira I, 1 *quidam ex sapientibus viris iram dixerunt brevem insaniam.*

[48]) Demosthenes adv. Conon. 19. *τὸ φαυλότατον τὸ τῆς λοιδορίας, πρὸ τοῦ τελευταίου καὶ δεινοτάτου προεώραται, τοῦ μὴ φόνον γίγνεσθαι μηδὲ κατὰ μικρὸν ὑπάγεσθαι ἐκ μὲν λοιδορίας εἰς πληγάς, ἐκ δὲ πληγῶν εἰς τραύματα, ἐκ δὲ τραυμάτων εἰς θάνατον.*

Stultitia et insania: S. II, 3, 43 *quem mala stultitia et quemcumque inscitia veri caecum agit, insanus.* 3, 53 *est genus unum stultitiae nihilum metuenda timentis, ut ignis, ut rupis fluviosque in campo obstare queratur: alterum et huic varum et nihilo sapientius ignis per medios fluviosque ruentis*[49]). 3, 208 *qui species alias veri scelerisque tumultu permixtas capiet, conmotus habebitur, atque stultitiane erret nihilum distabit an ira.* cf. S. II, 3, 74; 220; 225; 247; Ep. I, 16, 24.

Avaritia: I, 1, 56 *eo fit, plenior ut si quos delectet copia iusto, cum ripa simul avolsos ferat Aufidus acer.* C. II, 2, 1 *Nullus argento color est avaris abdito terris, nisi temperato splendeat usu*[50]). III, 16, 17 *crescentem sequitur cura pecuniam maiorumque fames.* III, 24, 62 *scilicet inprobae crescunt divitiae: tamen curtae nescio quid semper abest rei.* Ep. I, 2, 56 *semper avarus eget.* cf. C. II, 2, 9; S. II, 3, 166; Ep. I, 2, 44; 2, 51; 16, 63; 16, 65.

Dominatur aurum: S. II, 5, 7 *atqui et genus et virtus, nisi cum re, vilior algast.* epod. 11, 11 *contrane lucrum nil valere candidum pauperis ingenium?* C. III, 16, 9 *aurum per medios ire satellites et perrumpere amat saxa potentius ictu fulmineo*[51]). 24, 48 *aurum inutile, summi materiam mali.* cf. Ep. I, 6, 36.

Recte utamur pecunia: Ep. I, 10, 47 *imperat aut servit collecta pecunia cuique, tortum digna sequi potius quam ducere funem.*

Cura et timor, cum magna sectamur, nos non relinquunt neque vere nos delectari sinunt: C. II, 16, 9 *non enim gazae neque consularis submovet lictor miseros tumultus mentis et curas laqueata circum tecta volantis*[52]). cf. C. III, 24, 1; Ep. I, 2, 51. — C. II, 16, 21 *scandit aeratas vitiosa navis cura, nec turmas equitum relinquit, ocior cervis et agente nimbos ocior euro.* III, 1, 36 *sed timor et minae scandunt eodem quo dominus, neque decedit aerata triremi et post equitem sedet atra cura.* — Quam sententiam Peerlkampius additamentum male seduli grammatici appellat, quod miratur tam diu tolerari potuisse. Ita argumen-

---

[49]) Xenophon Mem. I, 1, 14 *τῶν τε γὰρ μαινομένων τοὺς μὲν οὐδὲ τὰ δεινὰ δεδιέναι, τοὺς δὲ καὶ τὰ μὴ φοβερὰ φοβεῖσθαι.*

[50]) Plutarchus *περὶ δυσωπίας* 10 similem versum comici cuiusdam affert: *οὐκ ἔστ' ἐν ἄντροις λευκὸς ὦ ξέν' ἄργυρος.*

[51]) Menander Sent. monost. 538 *χρυσὸς δ' ἀνοίγει πάντα κἂν Ἅιδου πύλας.*

[52]) Lucretius II, 37—52 illam cogitationem longius persecutus est.

tatur: 'Timor et Cura scandunt in aedificium illud in mari constructum (cf. versus antecedentes). Sed huius aedificii modo vidimus fundamenta. Igitur fundamenta scandit dominus.' Quid respondeamus? Nonne apertum est poetam in universum exprimere velle: quocumque effugeris, Timor et Minae te sequentur? — Similitudinem inter hanc sententiam et illam II, 16, 21 nos movere non potest, ut poetae eam demamus. Praeterea Peerlkampius cogitur etiam stropham antecedentem reicere. Quo facto contextus totius carminis dirimitur. Nam v. 41 *quodsi dolentem nec Phrygius lapis delenit* adnecti nequit ad *desiderantem quod satis est,* cuius animus nulla re percellitur, sed ad dominum divitem, qui quocumque se contulerit, ut curam timoremque effugiat, tamen ab his non relinquetur.

V. Continentia atque temperantia commendantur. Paucis contenti cum simus eisque rebus, quae nobis contigerunt, vera felicitas nostra est: C. II, 16, 13 *vivitur parvo bene, cui paternum splendet in mensa tenui salinum nec levis somnos timor aut cupido sordidus aufert*[53]). III, 16, 22 *multa petentibus desunt multa: bene est, cui deus obtulit parca quod satis est manu.* Ep. I, 2, 46 *quod satis est cui contingit, nihil amplius optet*[54]); cf. I, 10, 44.

c. III, 29, 13 *plerumque gratae divitibus vices mundaeque parvo sub lare pauperum cenae sine aulaeis et ostro sollicitam explicuere frontem.* III, 16, 21 *quanto quisque sibi plura negaverit, ab dis plura feret.* S. II, 2, 53 *sordidus a tenui victu distabit.* cf. C. III, 1, 17; 1, 25; IIII, 9, 45; Ep. I, 10, 12; 10, 30—33.

Optime aureae mediocritati studemus: C. II, 10, 5 *Auream quisquis mediocritatem diligit, tutus caret obsoleti sordibus tecti, caret invidenda sobrius aula.* Ne nimia petamus: C. II, 16, 17 *quid brevi fortes iaculamur aevo multa*[55])*? quid terras alio calentis sole mutamus? patriae quis exul se quoque fugit?* — 11, 11 *quid aeternis minorem consiliis animum fatigas?* C. IIII, 7, 7 *inmortalia ne speres monet annus et almum quae rapit hora diem.* — Quod petimus, in nobis ipsis est: Ep. I, 11, 28 *strenua nos*

[53]) Lucretius V, 1118 *divitiae grandes homini sunt vivere parce aequo animo: neque enimst umquam penuria parvi.*

[54]) Menander Sent. monost. Suppl. 35 *Ἰσότητα δ' αἱροῦ καὶ πλεονεξίαν φύγε.*

[55]) Euripides Bacch. 395. *βραχὺς αἰών· ἐπὶ τούτῳ δὲ τίς ἂν μεγάλα διώκων τὰ παρόντ' οὐχὶ φέροι;*

exercet inertia, navibus atque quadrigis petimus bene vivere. quod petis hic est, animus si te non deficit aequus. S. II, 2, 19 *non in caro nidore voluptas summa, sed in te ipso est.*

VI. Vitia abicienda, libidines coercendae sunt.

C. III, 24, 51 *eradenda cupidinis pravi sunt elementa et tenerae nimis mentes asperioribus formandae studiis.*

C. IIII, 4, 33 *doctrina sed vim promovet insitam rectique cultus pectora roborant; utcumque defecere mores, dedecorant bene nata culpae.*

Quae sententiae saepe magis enucleatae apparent: C. I, 16, 22 *Compesce mentem.* III, 2, 1 *Angustam amice pauperiem pati robustus acri militia puer condiscat.*

Ep. I, 1, 60 *hic* (i. e. recte facere) *murus aeneus esto, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa*[56]). 2, 55 *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas*[57]). 2, 40 *dimidium facti qui coepit habet: sapere aude: incipe*[58]). 2, 62 *animum rege; qui nisi paret, imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catenis.* cf. C. I, 18, 7; II, 5, 9; III, 24, 35. Ep. I, 2, 67.

Similes sunt hae sententiae: Ep. I, 7, 96 *qui semel adspexit quantum dimissa petitis praestent, mature redeat repetatque relicta.* I, 1, 41 *virtus est vitium fugere et sapientia prima stultitia caruisse.* Ep. II, 2, 141 *nimirum sapere est abiectis utile rebus.* cf. Ep. I, 10, 26; 11, 25; — 18, 87 *tu, dum tua navis in altost, hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.*

Pati discamus: C. I, 24, 19 *sed fit levius patientia quidquid corrigere est nefas.*

Ne cancellos constitutos transgrediamur, his sententiis monemur: S. I, 2, 111 *Nonne, cupidinibus statura modum quem, quid latura, sibi quid sit dolitura negatum, quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?* c. IIII, 4, 22 *nec scire fas est omnia;* cf. IIII, 11, 30. Ep. I, 6, 15. — C. III, 4, 65 *vis consili expers mole ruit sua: vim temperatam di quoque provehunt in maius:*

[56]) Antisthenes: *τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησιν· μήτε γὰρ καταρρεῖν μήτε προδιδόσθαι.* Diogen. VI, 1, 13.

[57]) Menander Sent. monost. 532 *φεῦγ' ἡδονὴν φέρουσαν ὕστερον βλάβην.*

[58]) Plato de legg. 753e *ἀρχὴ γὰρ λέγεται μὲν ἥμισυ παντὸς ἐν ταῖς παροιμίαις ἔργον.* cf. Hesiodi *ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.* (Usener, Altgriechischer Versbau, p. 50/51.)

idem odere viris omne nefas animo moventis. 29, 29 *prudens futuri temporis exitum caliginosa nocte premit deus, ridetque si mortalis ultra fas trepidat.* — III, 6, 5 *dis te minorem quod geris imperas.*

VII. Aequa mens in rebus secundis et adversis servanda est. C. II, 3, 1 *aequam memento rebus in arduis servare mentem non secus in bonis ab insolenti temperatam laetitia.* — 10, 1 *rectius vives, neque altum semper urguendo neque, dum procellas cautus horrescis, nimium premendo litus iniquum.* 10, 13 *sperat infestis, metuit secundis alteram sortem bene praeparatum pectus.* 10, 16 *non si male nunc, et olim sic erit.* 10, 21 *rebus angustis animosus atque fortis adpare, sapienter idem contrahes vento nimium secundo turgida vela.* cf. S. II, 2, 135; II, 6, 73.

VIII. Ad vitam fruendam hae sententiae pertinent: C. III, 8, 27 *dona praesentis cape laetus horae et linque severa.* II, 16, 25 *laetus in praesens animus quod ultra est oderit curare et amara lento temperet risu: nihil est ab omne parte beatum*[59]. IIII, 12, 25 *verum pone moras et studium lucri, nigrorumque memor dum licet ignium misce stultitiam consiliis brevem: dulce est desipere in loco.* cf. Ep. I, 11, 22.

Quid futurum sit, nos scire nequimus, ergo: C. I, 11, 1 *tu ne quaesieris, quem mihi, quem tibi finem di dederint. ut melius quidquid erit pati.* Ep. I, 4, 12 *inter spem curamque, timores inter et iras omnem crede diem tibi diluxisse supremum: grata superveniet quae non sperabitur hora.* — C. I, 11, 8 *carpe diem, quam minimum credula postero.*

Curas ut vino pellamus suadet poeta: C. I, 7, 15 *Albus ut obscuro deterget nubila caelo saepe notus neque parturit imbres perpetuo, sic tu sapiens finire memento tristitiam vitaeque labores molli mero.* 11, 6 *sapias, vina liques et spatio brevi spem longam reseces.* Similes sententiae hae sunt: C. I, 9, 9; 9, 13; 11, 7; Ep. I, 5, 12.

Sed etiam in fruenda vita modus servandus est: Ep. II, 2, 195 *distat enim, spargas tua prodigus an neque sumptum invitus facias neque plura parare labores, ac potius, puer ut festis quinquatribus olim, exiguo gratoque fruaris tempore raptim.*

[59]) Euripides frg. 662 N. *οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ.*

VIIII. Ut vita fruamur, monet illius brevitas fragilitasque. S. II, 6, 93 *terrestria quando mortalis animas vivunt sortita neque ullast aut magno aut parvo leti fuga: quo, bone, circa dum licet in rebus iucundis vive beatus*[60]. C. IIII, 7, 17 *quis scit an adiciant hodiernae crastina summae tempora di superi?* — C. I, 4, 15 *Vitae summa brevis spem nos vetat incohare longam; iam te premet nox*[61] *fabulaeque manes et domus exilis Plutonia.* — Ep. I, 2, 27 *nos numerus sumus et fruges consumere nati.*

C. III, 1, 14 *Aequa lege necessitas sortitur insignis et imos, omne capax movet urna nomen.* — I, 4, 13 *pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turris.* II, 3, 21 *Divesne prisco natus ab Inacho nil interest an pauper et infima de gente sub divo moreris, victima nil miserantis Orci.* II, 14, 9 *Plutonis unda, scilicet omnibus, quicumque terrae munere vescimur, enaviganda, sive reges sive inopes erimus coloni.* Ep. I, 6, 25 *cum bene notum porticus Agrippae et via te conspexerit Appi, ire tamen restat Numa quo devenit et Ancus.* cf. C. II, 18, 29; 18, 31.

Iuvenes aeque ac senes morte rapiuntur: C. I, 28, 19 *mixta senum ac iuvenum densentur funera, nullum saeva caput Proserpina fugit.* Fortes et ignavi mortem occumbunt: C. III, 2, 14 *mors et fugacem persequitur virum nec parcit inbellis iuventae poplitibus timidoque tergo*[63].

C. I, 28, 15 *Omnis una manet nox et calcanda semel via leti*[64]. Ep. I, 16, *mors ultima linea rerumst.* A. P. 63 *debemur morti nos nostraque*[65]. cf. C. II, 13, 19, IIII, 7, 14.

C. II, 3, 25 *Omnes eodem cogimur, omnium versatur urna serius ocius sors exitura et nos in aeternum exilium inpositura cumbae.*

[60]) Euripides Alc. 794 *βροτοῖς ἅπασι κατθατεῖν ὀφείλεται κοὐκ ἔστιν αὐτῶν, ὅστις ἐξεπίσταται τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται .... ταῦτ' οὖν ἀκούσας καὶ μαθὼν ἐμοῦ πάρα εὔφραινε σαυτόν, πῖνε, τὸν καθ' ἡμέραν βίον λογίζου σόν, τὰ δ' ἄλλα τῆς τύχης.*

[61]) Pindarus frg. 191 B. *Ταρτάρου πυθμὴν πιέζει σ' ἀφανέος σφυρηλάτοις ἀνάγκαις.*

[62]) Subest Homeri Z. 142 *βροτοὶ οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν.*

[63]) Kallinos I, 12 *οὐ γάρ κως θάνατόν γε φυγεῖν εἱμαρμένον ἐστὶν ἄνδρ' .... πολλάκι δηιοτῆτα φυγὼν καὶ δοῦπον ἀκόντων ἔρχεται, ἐν δ' οἴκῳ μοῖρα κίχεν θανάτου.* Simonid. frg. 48 *ὁ δ' αὖ θάνατος κίχε καὶ τὸν φυγόμαχον.*

[64]) Catullus 5, 6 *nox perpetua una dormienda.*

[65]) Men. sent. mon. 69 *βροτοῖς ἅπασιν ἀποθανεῖν ὀφείλεται.*

Sicuti res ipsa cogit, aliquid simile in omnibus his cogitationibus inest. Neque tamen est, cur propterea nonnullae deleantur. Gruppius (Minos p. 334) carminis II, 3 (*aequam memento* etc.) extremam partem (*cedes coemptis saltibus* etc. usque ad finem) poeta indignam esse censet: unumquemque interpolatorum horum versuum in aliis carminibus Horati reperiri. At easdem cogitationes, non eadem verba, ut vidimus. Tales autem iterationes Horati propriae sunt. — Deinde haud verisimile est, ut versibus *dum res et aetas et sororum fila trium patiuntur atra* carmen terminetur. Poeta monet amicum, ut aequam mentem servet et ut rosas vinum unguenta adferri iubeat. Si solas has cogitationes carmen contineret, illud *moriture Delli* primae strophae non bene intellegeretur. Recte autem poeta cogitationem coeptam exsequitur: Fruere divitiis tuis; nam cur heredi eas tradere vis? Tu eas non semper habere potes, nam tibi quoque moriendum est. Ita hi extremi versus illi *moriture* respondent. Atque semper magni artificii fuit, carmen quasi circulum quendam circumducere, ut exitus ad initium spectet. — Sed ad rem redeo.

Frustra mortem effugere conabimur, omnia quae adamavimus nobis relinquenda sunt:

c. II, 14, 13 *frustra cruento Marte carebimus fractisque rauci fluctibus Hadriae, frustra per autumnos nocentem corporibus metuemus austrum;* 14, 17 *visendus ater flumine languido Cocytos errans;* 14, 21 *linquenda tellus et domus et placens uxor, neque harum quas colis arborum te praeter invisas cupressos ulla brevem dominum sequetur.* — Lehrsius stropham 17—21 *visendus ater* etc. interpolatam esse putat; quod vel inde cognosci posse, quod non post stropham insequentem 21—24 (*linquenda tellus* etc.) collocata esset. '*Denn nachdem wir bereits so gründlich in der Unterwelt verweilt, ist es jedesmal anstössig, uns in das Leben zurückgeführt zu sehen.*' At primum quidem falsum est, versus 17—20 post vv. 21—24 ponere; nam cum postrema stropha illius carminis 25—28 (*absumet heres Caecuba dignior* etc.) bene adnectatur ad vv. 21—24, cum res humanas tractent, transitus a vv. 17—20 ad vv. 25—28 abruptus esset. Quapropter ex collocatione strophae eam spuriam esse concludi nequit. Deinde quamquam concedendum est mortis necessitatem paullo verbosius ostentam esse, copiam similium sententiarum ab Horatio non sperni supra saepe vidimus.

Atque etiamsi non semper mors imminebit, tamen viriditas corporis evanescit, qua absente vita frui iam vix possumus. C. II, 11, 4 *Ne trepides in usum poscentis aevi pauca, fugit retro levis iuventas et decor, arida pellente lascivos amores canitie facilemque somnum.* 14, 1 *Eheu fugaces labuntur anni, nec pietas moram rugis et instanti senectae adferet indomitaeque morti.* Ep. II, 2, 55 *singula de nobis anni praedantur euntes.*

Fortunae ac bona ipsa quae possidemus ad omnes casus obiecta sunt: C. II, 16, 31 *et mihi forsan tibi quod negarit porriget hora*[66]). 13, 13 *quid quisque vitet, numquam homini satis cautumst in horas.* — I, 34, 12 *valet ima summis mutare et insigne attenuat deus, obscura promens: hinc apicem rapax Fortuna cum stridore acuto sustulit, hic posuisse gaudet.* S. II, 8, 61 *heu, Fortuna, quis est crudelior in nos te deus? ut semper gaudes inludere rebus humanis*[67]).

X. Sequuntur sententiae, quibus poeta virtutes earumque praemia atque vera bona vitae humanae praedicat. Ep. I, 18, 9 *Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum*[68]). I, 1, 52 *Vilius argentumst auro, virtutibus aurum.* cf. C. III, 5, 27. Ep. I, 16, 52; 17, 41.

Qui virtutem sequitur, honores et dignitatem assequi potest. C. II, 2, 19 *virtus populum falsis dedocet uti vocibus, regnum et diadema tutum deferens uni propriamque laurum, quisquis ingentis oculo inretorto spectat acervos.* III, 2, 21 *virtus, recludens immeritis mori caelum, negata temptat iter via coetusque volgaris et udam spernit humum fugiente penna*[69]). — III, 2, 17 *virtus repulsae nescia sordidae intaminatis fulget honoribus nec sumit aut ponit securis arbitrio popularis aurae.* cf. C. III, 3, 1. Ep. I, 1, 106; S. II, 7, 83.

Bona vitae humanae fere omnia nobis in sententiis occurrunt:
Amicitia: S. I, 5, 44 *nil ego contulerim iucundo sanus amico*[70]).

---

[66]) Menander Sent. mon. 426. *Οἷς μὲν δίδωσιν, αἷσ δ' ἀφαιρεῖται τύχη.*

[67]) Men. Sent. mon. Suppl. 121. *Ὡς ποικίλον πρᾶγμ' ἐστὶ καὶ πλάνον τύχη.*

[68]) Aristoteles Eth. Nicom. II, 6 *ἀρετὴ μεσότης δύο κακιῶν, τῆς μὲν καθ' ὑπερβολήν, τῆς δὲ κατ' ἔλλειψιν.*

[69]) Anthol. P. VII, 251 *οὐ δὲ τεθνᾶσι θανόντες, ἐπεὶ σφ' ἀρετὴ καθύπερθε κυδαίνουσ' ἀνάγει δώματος ἐξ Ἀίδου.*

[70]) Men. Sent. mon. 423 *οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον φίλου.*

Amor: C. I, 13, 17 *felices ter et amplius quos inrupta tenet copula nec malis divolsus querimoniis suprema citius solvet amor die.*

Amor patriae: III, 2, 13 *dulce et decorumst pro patria mori.*

Integritas vitae: C. I, 22, 1 *integer vitae scelerisque purus non eget Mauris iaculis neque arcu nec venenatis gravida sagittis pharetra* etc.

Otium: C. II, 16, 7 *otium non gemmis neque purpura venale neque auro.*

Fides: III, 2, 25 *est et fideli tuta silentio merces*[71]).

cf. epod. 2, 1 *Beatus ille qui procul negotiis paterna rura bobus exercet suis*[72]).

Ep. I, 2, 47 valetudo praedicatur: *non domus et fundus, non aeris acervus et auri aegroto domini deduxit corpore febris, non animo curas: valeat possessor oportet, si conportatis rebus bene cogitat uti.*

XI. Quid valeant carmina non semel poeta demonstrat. Curas pellere possunt. IIII, 11, 35 *minuentur atrae carmine curae.* — Eis autem qui carminibus praedicantur inmortalitas datur Ep. II, 1, 248 *nec magis expressi voltus per aenea signa quam per vatis opus mores animique virorum clarorum adparent.* — Quae cogitationes imprimis c. IIII, 8 nobis occurrunt:

non incisa notis marmora publicis,
per quae spiritus et vita redit bonis
post mortem ducibus (non celeres fugae
reiectaeque retrorsum Hannibalis minae,
[non incendia Carthaginis inpiae],
eius qui domita nomen ab Africa
lucratus rediit) clarius indicant
laudes quam Calabrae Pierides; neque
si chartae sileant quod bene feceris,
mercedem tuleris. — — — —

[71]) Simonides frg. 49 Hiller *ἐστὶ καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.*

[72]) Aristophanes *Νῆσοι* 1: *ὦ μῶρε, πάντα ταῦτ᾽ ἐν τῇ δ᾽* (scl. *εἰρήνῃ*) *ἔνι· οἰκεῖν μὲν ἀργὸν αὐτὸν ἐν τῷ γηδίῳ ἀπαλλαγέντα τῶν κατ᾽ ἀγορὰν πραγμάτων κεκτημένον ζευγάριον οἰκεῖον βοοῖν, ἔπειτ᾽ ἀκούειν προβατίων βληχωμένων.*

ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
virtus et favor et lingua potentium
vatum divitibus consecrat insulis.
(dignum laude virum Musa vetat mori),
caelo Musa beat.

Ad sententias huius carminis pauca adnotanda sunt. vv. 15—19 et v. 28 a Lachmanno uncis circumscripti sunt. — '*Grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est.*' Lachmanno astipulari nequeo (solum v. 17 deleo). Gruppius (Minos p. 60), qui Lachmanni sententiae se addixit, certa argumenta adduci non posse concedit, lituram per se ipsam dilucidam esse. — Sed poeta ipso teste utamur. Ac primum quidem cur illi versus addubitabantur? v. 17 cum caesura careat atque cum, si adest, Scipio maior et minor permutati sint, recte ab Horatio alienus esse putabatur. Sed critici non satis habebant illum unum versum in suspicionem vocare: totus locus spurius esse videbatur. — Sed quid restat demptis versibus 15—19? Non marmora clarius indicant laudes quam carmina Enniana, i. e. in universum carmina poetarum: nam Horatius ut omnes poetae pro re communi rem singularem ponit[73]). Vix autem Ennium produxisset, si in universum de viris a poetis celebratis dixisset. Nam meminerimus, quomodo aliis locis de Ennio loquatur.

Ep. II, 1, 50

Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
ut critici dicunt, leviter curare videtur,
quo promissa cadant et somnia Pythagorea.

A. P. 259

iambus — Enni
in scaenam missos cum magno pondere versus
aut operae celeris nimium curaque carentis
aut ignoratae premit artis crimine turpi.

Qui ita sentit, ei Ennius alio loco instar omnium esse non potest. Quapropter Horatius, si in universum de vatibus divinis,

[73]) G. Hermann, Op. II, 42. *Hoc maxime proprium est orationis poeticae, ut certa pro incertis commemoret, ut rem ex generis infinitate in singularis facti arctos fines contractam certo in exemplo contemplandam exhibeat.*

qui *munere centum potiore signis donant*, dixisset, aut pro verbis *Pierides Calabrae* v. c. carmen Maeonium[74]) posuisset aut sententiam ita formasset ut Ep. II, 1, 248: *nec magis expressi voltus per aenea signa quam per* v a t i s o p u s *mores animique clarorum adparent.* Bene autem Ennius cum Scipione coniungi potuit, qui ab illo cantatus erat[75]). Quibus causis adductus ne illo quidem loco Horatiano Ennium a Scipione separari posse censeo, i. e. vv. 15—19 praeter 17 servandos esse. Cogitationes autem communes cum exemplo certo coniunguntur: c. II, 14, 17 *visendus ater flumine languido Cocytos errans et Danai genus infame damnatusque longi Sisyphus Aeolides laboris.* cf. II, 18, 32; II, 9, 1 etc.

Ad extremum non est, cur v. 28 deleatur: *dignum laude virum Musa vetat mori.* Qui cum versu insequente coniunctus *(Musa caelo beat)* duplicem sententiam efficit, quam formam non raro apud Horatium inveniri pag. 13 demonstravimus. Verba *lingua vatum divitibus consecrat insulis* et *Musa caelo beat* plane idem exprimunt. Itaque v. 28 variatio non inoptata est. Lachmannus et Gruppius nihil ineptius hoc versu noverunt, Peerlkampius, a quo multa vitia poetae patefacta esse negari nequit, tam pulchrum existimat, ut eum poetae abiudicare non ausit. Nos Horatio ipsi credimus, cuius indole, ingenio, consuetudine illum versum eicere vetamur[76]).

XII. Saepe Horatius praecepta de arte poetica dat, quorum nonnulla recte sententiae esse existimantur. Sed cavendum est, ne hae sententiae cum talibus dictis confundantur, quae aliquid certi exponant neque quicquam commune contineant ut A. P. 189 *neve minor neu sit quinto productior actu fabula.* Sententiae tum recte appellantur, si ad naturam rei tractatae ac vim pertinent, ita ut dictum verum esse omnes ilico intellegant. — Ad poetas ipsos et carmina universa hae pertinent: S. I, 4, 40 *neque enim concludere versum dixeris esse satis; neque*

[74]) cf. C. IIII, 9, 5 *priores Maeonius tenet sedes Homerus.*

[75]) Non inusitatum fuisse videtur eos una appellari, cf. Ovid. A. A. 409:
Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

[76]) Versibus 17 et 33, qui manifesto interpolati sunt, deletis strophae tetrastichae servantur.

si qui scribat uti nos sermoni propiora, putes hunc esse poetam, ingenium cui sit, cui mens divinior atque os magna sonaturum, des nominis huius honorem. A. P. 409 *ego nec studium sine divite vena, nec rude quid possit video ingenium: alterius sic altera poscit spem res et coniurat amice*[77]). cf. S. I, 4, 54; 10, 7; A. P. 9. — S. I, 10, 72 *saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint scripturus.* A. P. 390 *delere licebit, quod non edideris; nescit vox missa reverti*[78]). — A. P. 309 *scribendi recte sapere est et principium et fons.* 311 *verbaque provisam rem non invita sequentur*[79]). cf. 448. — S. I, 10, 9 *est brevitate opus, ut currat sententia neu se inpediat verbis lassas onerantibus auris.* 335 *quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta percipiant animi dociles teneantque fideles. omne supervacuum pleno de pectore manat.* — A. P. 38 *sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam viribus, et versate diu, quid ferre recusent, quid valeant umeri. cui lecta potenter erit res, nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.* — 333 *aut prodesse volunt aut delectare poetae aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.* 343 *omne tulit punctum qui miscuit utile dulci, lectorem delectando pariterque monendo.* cf. A. P. 99. — A. P. 24 *Maxima pars vatum decipimur specie recti.* 31 *in vitium ducit culpae fuga si caret arte.*

Ad vocabula poetarum hae attinent: A. P. 58 *licuit semperque licebit signatum praesente nota producere nomen.* 60 *ut silvae foliis pronos mutantur in annos, prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.* cf. A. P. 68; 70.

Unitas aut ordo poematis deesse non debent. A. P. 23 *denique sit quidvis, simplex dumtaxat et unum.* 42 *ordinis haec virtus erit et venus, ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici, pleraque differat et praesens in tempus omittat.*

Poesis cum pictura comparatur: 361 *ut pictura poesis: erit quae, si propius stes, te capiat magis, et quaedam, si longius abstes; haec amat obscurum, volet haec sub luce videri, iudicis argutum quae non formidat acumen; haec placuit semel, haec deciens repetita placebit.*

[77]) Ps. Longinus 36, 4 *προσήκει . . . βοήθημα τῇ φύσει πάντη πορίζεσθαι τὴν τέχνην· ἡ γὰρ ἀλληλουχία τούτων ἴσως γένοιτ' ἂν τὸ τέλειον.*

[78]) Men. Sent. mon. Suppl. 73 *ῥίψας λόγον τις οὐκ ἀναιρεῖται πάλιν.*

[79]) cf. Catonis dictum: *rem tene, verba sequentur.*

Ad dramata sola hae pertinent: 179 *aut agitur res in scena aut acta refertur.* 180 *segnius inritant animos demissa per aurem quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae ipse sibi tradit spectator.* 89 *versibus exponi tragicis res comica non volt: indignatur item privatis ac prope socco dignis carminibus narrari cena Thyestae.* cf. v. 231.

125 *siquid inexpertum scenae committis et audes personam formare novam, servetur ad imum, qualis ab incepto processerit, et sibi constet.* 128 *difficile est proprie communia dicere.*

105 *tristia maestum voltum verba decent, iratum plena minarum, ludentem lasciva, severum seria dictu.* cf. 114; 176; 178.

319 *interdum speciosa locis morataque recte fabula nullius veneris, sine pondere et arte, valdius oblectat populum meliusque moratur quam versus inopes rerum nugaeque canorae.*

Nunc sententiis allatis tabulam proponam, ut quomodo singula genera in satiras, epodos, carmina, epistulas digesta sint appareat:

	Sententiae populares ad vitam cotidianam pertinentes	Pertinentes ad rerum naturam	Ad cognitionem naturae humanae	Ad perturbationes animi	Ad continentiam et temperantiam	Ad fugam vitiorum; ad cognitionem sui	Ad aequam mentem in rebus secundis et adversis servandam	Ad adhortationes, ut vita recte fruamur	Ad brevitatem fragilitatemque vitae	Ad virtutes eorumque praemia	Quid valeant carmina	De arte poetica	
Satirae[80] I.	13	1	5	4		1				1		5	30
Epod. lib.			2	1						1			4
Satirae II	11	4	7	9	2		2		2	1			38
Carm. I	1			3		3		7	5	2			21
Carm. II	1	6		4	4	1	5	1	13	2			37
Carm. III	1		2	7	5	6		1	2	6			30
Epist. I	24	2	12	12	7	11		3	3	6			80
Epist. II	5		6	2		1		1	1		1		17
Ars poet.	8		6						1			31	46
Carm. IIII	2	2			2	3		1	2		6		18
	66	15	40	42	20	26	7	14	29	19	7	36	321

80) In poematis ordinandis temporum ordinem sequor.

Illarum 321 sententiarum habent satirae 68, epodum liber 4, carmina 106, epistulae 143.

Eae sententiae, propter quas Horatius etiam hodie tantopere diligitur, praecipue in primis tribus carminum libris reperiuntur, cum id exprimant, quod aut ipsi volumus aut optimum verissimumque intellegimus: vita ut fruamur ob fragilitatem rerum humanarum, honesta ut sectemur, prava ut abiciamus, monemur. In Epistulis et Satiris, quas poeta plerumque fabulans profert, sententiae ad eas res imprimis adnectantur, quae sunt in usu vitaque communi. Ceteroquin tabula per se ipsa explicatur.

Satirae, in quibus poeta cum risu atque indignatione quid sit, quid esse oporteat, ostendit, fere omnes sententias habent. Carminum ea, quae vere lyrica sunt, sententiis carent: nimirum omnes deliberationes ab affectibus, in quibus poesis lyrica versatur, alienae sunt. Epistularum eae, quae verae epistulae sunt: I, 3, 4, 5, 8, 9, 11, 12, 13, 15 raras sententias habent.

Sed sententiis Horatianis excussis poetam breviter cum Graecis comparemus. Ut Romanorum Horatius, ita praecipue Euripides Graecorum magnam sententiarum copiam fabulis suis inseruit. Alii poetae, quamquam illis luminibus non carent, tamen ea tam raro adhibuerunt, ut paucae aut nullae innotuerint inde sententiae. Sed cui, cum de Euripide vel de Horatio sermo incidit, non statim sententiarum in mentem venit? — Quaeramus igitur, cur poetae illi in hac re omnes alios superent! Utriusque natura ad considerandum et philosophandum sane quam propensa est. Iam Quintilianus ita de Euripide iudicat (X, 1, 68): *in iis, quae a sapientibus tradita sunt, paene ipsis par.* — Atque Horatius ipse testatur Ep. I, 1, 10:

nunc itaque et versus et cetera ludicra pono;
quid verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc sum;
condo et compono, quae mox depromere possim.

iterumque v. 23:

Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora quae spem
consilium morantur agendi gnaviter id quod
aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,
aeque neglectum pueris senibusque nocebit.

Quapropter poeta totum se philosophiae daturus est. Tamen ex illis versibus simul intellegere possumus, Horatium non volucri animi affectione teneri, sed iam pridem philosophiae studere. Quae sub grata sententiarum forma in eius poesin irrepere coepit atque in dies maius maiusque spatium occupavit.

Sententiae controversae.

I.

Theophrasteam gnomes definitionem, quam citat Gregorius Corinthius, qui Hermogenis rhetoris libellum **περὶ μεθόδων δεινότητος** commentatus est (Walz VII, 1154, 23), Spengelius iniuria Aristoteli tribuit. *(Comm. z. Rhetor. d. Arist.* p. 276.*)*

II.

Promythia et epimythia, quae in Phaedri fabulis inveniuntur, poetae abiudicanda non sunt.

III.

Ratio illa critica, quae poetas antiquos unquam labi posse negat atque propterea versus quosdam vel delet vel permutat, plane reicienda est.

IV.

Socrates virtutem recte unam esse, falso intelligentiam veri bonique iudicavit.

Vita.

Georgius Otto Guilelmus Rosenthal natus sum Berolini a. d. X. Kal. Februarias a. h. s. LXXIIII patre Ottone, matre Carolina e gente Pophal, quos superstites esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis per triennium in Wieprechti v. d. ludo privato imbutus in gymnasium Ascaniense, quod adhuc floret sub auspiciis Woldemari Ribbecki v. d., receptus sum. Autumno anni LXXXXIII maturitatis testimonium adeptus universitatem Fridericam Guilelmam adii ibique per VI semestria et philosophiae operam dedi et philologiae graecae, latinae, germanicae.

Docuerunt me viri illustrissimi: Curtius, Diels, Heusler, Huebner, Kekule de Stradonitz, Kirchhoff, Kretschmer, Lasson, Paulsen, Roediger, E. Schmidt, Stumpf, Thomas, Vahlen, Weinhold.

Ad exercitationes graecas latinasque me admiserunt Diels, Huebner, Thomas, ad germanas Heusler, Roediger, E. Schmidt, ad philosophas Paulsen.

Quibus viris omnibus gratias ago ex animi sententia. Imprimis vero Dielsio et Huebnero, quorum doctrina atque benignitate semper in studiis meis egregie adiutus sum, quid debeam, pio gratoque animo numquam obliviscar.